14754/D

a10

BOTTARI, Giovanni Gaetano

62688

MUSEI CAPITOLINI


TOMUS PRIMUS

PHILOSOPHORUM, POETARUM, ORATORUM,

VIRORUMQUE ILLUSTRIUM HERMAS CONTINENS

CUM ANIMADVERSIONIBUS ITALICE PRIMUM

NVNC LATINE EDITIS.



ROMÆ CIƆIƆCCL.

Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ANGELO MARIAE
TIT. SANCTI MARCI
CARDINALI QUIRINO
S. R. E. BIBLIOTHECARIO
EPISCOPO BRIXIENSI
PRINCIPI VIRO
PIISSIMO DOCTISSIMO MUNIFICENTISSIMO
BONARUM LITTERARUM FAUTORI
ERUDITORUM PATRONO LAUDATISSIMO
IN ANTIQUAE CLIENTELAE TESTIMONIUM
ET TANTARUM VIRTUTUM OBSEQUIUM
PRIMUM MUSEI CAPITOLINI VOLUMEN
JOHANNES BOTTARIUS
BIBLIOTHECAE VATICANAE CUSTOS
D. D.

ERUDITO LECTORI.

INTER cetera, quæ CLEMENTI XII. Pont. Max. fel. rec. in mentem venerunt, illud profecto nobiliſſimum, & gloriæ digniſſimum fuit, quod antiquorum marmorum collectionem plane admirabilem adornavit, quæ tum eruditione, tum artificio maxime commendarentur, ac prope ſingularia eſſent, cujuſmodi ſunt Hermæ, ſtatuæ, anaglypta, atque inſcriptiones, quæ omnia in Capitolio, velut in propria ſede, conlocaret; quippe qui in eum collem vere triumphalem una cum bonis artibus, atque eruditionis Romanæ, & Græcæ ſtudio immortalitatem quoque ſui nominis invexerit, digno ſane triumpho, atque inuſitato, qui nullo umquam tempore deficeret & quem nulla unquam vetuſtas aboleret, imo etiam per futura ſecula perennem, ac perpetuam haberet diuturnitatem. Eo quidem pacto aliquod conatus eſt adferre remedium populationi illi miſerrimæ, qua Barbari nonnulli, ac tot aliæ efferatæ gentes urbem Romam divexarunt, ac demum, ſi fieri poſſit, aliquatenus obſiſtere cupiditati maxime exterorum, qui nullum non movent lapidem, ut nos pretioſiſſimis hiſce theſauris expolient, & ſeipſos divites faciant; ſimulque nos docuit, ne illos umquam nobis auferri pateremur, quum poſſet ea ratione & fortuitis indigentiis provideri, & Urbem iiſdem maxime ornatam relinquere. Itaque Muſeum conſtituit, quod facile in dies magis augeri poterit, & quo magis augebitur, eo magis hanc totius orbis Metropolim ampliorem, ac ſplendidiorem efficiet, magiſque omnium hominum oculos, atque admirationem ad ſe convertet. Ne autem hyperbolice hoc dicere videamur, operæ pretium duximus, hanc ipſam collectionem omnino admirabilem ad communem utilitatem omnium oculis, ac menti ſubjicere, ſingulas illius partes typis mandantes, atque interea præſenti hoc volumine inluſtrium virorum Hermas in lucem edentes, quorum nulla eſt, ac certe non erit unquam, ut puto, tam copioſa collectio, ſi ad eorum numerum, & qualitatem ſimul ratio habeatur. Fulvius Urſinus, & poſt ipſum Bellorius ex ſtatuis, ex nummis, ex Hermis, ex toreumatibus, ex cælatis gemmis &c. quæ non tantum Romæ, ſed foris etiam extarent, varias veterum Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, aliorumve in litteris inluſtrium virorum imagines collegerunt, eaſque publicarunt, ex quo maximam ſibi laudem compararunt. Bellorius autem cuique imagini animadverſiones quaſdam adjecit, quæ laudes, vel hiſtoriam illius continerent, qui eo in ectypo exhibebatur. At nobis hujuſmodi cura viſa eſt ſuperflua, & minus ad rem. Quis enim hiſtoriam ex. gr. Homeri, Platonis, Virgilii jam probe non noverit? Cuinam curæ ſit eorum laudes audire, quæ orbem terrarum jam compleverunt, ut nemini ignotæ eſſe queant. Quam ob rem hiſce omnibus prætermiſſis, ſub qualibet imagine ſimplex nomen poſuimus illius, qui ab ea repræſentatur, atque inluſtriores rei antiquariæ peritos homines citavimus, qui ejuſdem viri imaginem in eorum operibus retulerunt, quamvis male illam nonnumquam expreſſerint; & quamvis aliquando decepti fuerint, quod adfirmare nobis non libet, ſed integrum cuique relinquimus locum judicandi, ut conlatione aliarum imaginum ſibimet ſatisfaciat, ac liberum proferat ea de re judicium; quamquam pro certo habemus, hujuſmodi conlatione majorem ſemper æſtimationem apud ipſum adepturum fore Muſeum hocce Capitolinum. Nobis quidem inſcitiam noſtram potius fateri placuit, quam aliquid abſque ullo certo argumento adfirmare; ideoque pluribus imaginibus ſubſcriptam leges epigraphen Caput incognitum, quum nec fallere homines velimus, nec juſtæ reprehenſioni noſmetipſos exponere. In altero volumine Auguſtorum, & Auguſtarum capita exhibebimus; in tertio Statuas; in quarto vero Anaglypta, poſt quæ aliud quoque volumen addemus, in quo plura alia marmora, variæque antiquitatis reliquiæ, quæ extra ſeriem ibi ſunt, referentur. In harumce graphidum, ſeu Tabularum ordine, ac diſtributione nihil omnino tribuendum eſt nobis, quum illam collocationem ſequuti ſimus, qua in ædibus Capitolinis poſita fuerunt marmora, ab eo cui demandata fuit hæc provincia. Si quis vero hiſce uſus libris has imagines quum marmoribus conferre voluerit, id facile præſtare poterit; quod quidem fieri non poſſet, ſi eas alio ordine edidiſſemus. Vale.

INDEX TABULARUM.

APulejus. I.
Virgilius. II.
Aſclepiades. III.
Caput incognitum. IV.
Caput incognitum. V.
Caput incognitum. VI.
Caput incognitum. VII.
Ariſtoteles. VIII.
Agatho. IX.
Poſſidonius. X.
Epicurus. XI.
Heraclitus. XII.
Heraclitus. XIII.
Socrates. XIV.
Socrates. XV.
Alcibiades. XVI.
Carneades. XVII.
Ariſtides. XVIII.
Hippocrates. XIX.
Seneca. XX.
Plato. XXI.
Plato. XXII.
Junius Ruſticus. XXIII.
Theophraſtus. XXIV.
Caput incognitum. XXV.
Marcus Aurelius. XXVI.
Diogenes Cynicus. XXVII.
Thales. XXVIII.
Theon Platonicus. XXIX.
Mago Carthaginienſis. XXX.
Caput incognitum. XXXI.
Pythagoras. XXXII.
Hieron Rex Siciliæ. XXXIII.
Caput incognitum. XXXIV.
Ariſtophanes. XXXV.
Terentius. XXXVI.
Terentius. XXXVII.
Pindarus. XXXVIII.
Perſius. XXXIX.
Anacreon. XL.
Caput incognitum. XLI.
Aratus. XLII.
Aratus. XLIII.
Heſiodus. XLIV.
Caput incognitum. XLV.
Caput incognitum. XLVI.
Caput incognitum. XLVII.
Caput incognitum. XLVIII.
Caput incognitum. XLIX.
Caput incognitum. L.
Caput incognitum. LI.
Apollonius Tianæus. LII.
Apollonius Tianæus. LIII.
Homerus. LIV.
Homerus. LV.
Caput incognitum. LVI.
Cleopatra. LVII.
Sappho. LVIII.
Ariſtomachus. LIX.
Sappho. LX.
Leodamas. LXI.
Euripides. LXII.
Lyſias. LXIII.
Lyſias. LXIV.
Iſocrates. LXV.
Caput incognitum. LXVI.
Herodotus. LXVII.
Thucydides. LXVIII.
Caput incognitum. LXIX.
Caput incognitum. LXX.
Caput incognitum. LXXI.
Caput incognitum. LXXII.
Pythodoris. LXXIII.
Caput incognitum. LXXIV.
Caput incognitum. LXXV.
Caput incognitum. LXXVI.
Maſſiniſſa Rex Numidiæ. LXXVII.
Maſſiniſſa Rex Numidiæ. LXXVIII.
Caput incognitum. LXXIX.
Caput incognitum. LXXX.
Caput incognitum. LXXXI.
Cicero. LXXXII.
Ptolomæus Rex Ægyptiorum. LXXXIII.
Bacchus. LXXXIV.
Caput incognitum. LXXXV.
Caput incognitum. LXXXVI.
Bacchus. LXXXVII.
Caput incognitum. LXXXVIII.
Archimedes. LXXXIX.
Zeno Stoicus. LXXXX.

ANI-



ANIMADVERSIONES
JOH. BOTTARII
IN MUSEI CAPITOLINI TOMUM I.
Ex Italica in Latinam linguam tranſlatæ.

VETUSTA edituri monimenta tum operis elegantia, tum Græca Romanaque, quam continent, eruditione præſtantia, quæ in Ædibus Capitolii communi bono & commodo Clemens XII. ſumptuoſe congeſſit, & munifice in dies numero auget BENEDICTUS XIV, ab illuſtrium Virorum imaginibus incipere optimum arbitramur, quarum pars maxima reliquiae ſunt ſtatuarum illarum, quæ ex quadrato aut pyramidato lapide fiebant, deſinebantque ſuperne in humanam faciem, *Hermas* vocant, quod ita ſæpe effingeretur Mercurius, utpote Divum interpres habitus, (1) Hermes dictus. Sed alia etiam nomina hiſce ſtatuis tribui deprehendimus, ipſæ enim eſſe videntur, quos *effigiatos lapides* appellat Minucius (2); & Thucydides (3) ad earum figuram reſpiciens τὴν τετράγωνον ἐργασίαν dixit, quod & apud Themiſtium invenitur, (4) ſed minus recte vertitur a Petavio *rudi informique mole*, nam quantum eſt evidens quadratos fuiſſe Hermas, tantum notum eſt eos egregie aliquando ſculptos fuiſſe. Porro Leonidas Tarentinus (5) Mercurium ipſum τετράγλωχιν nuncupavit; Cilleniique etiam nomen Mercurio hinc eſſe tributum adnotat Servius (6), qui fabula de manibus Mercurio amputatis a Chorici Arcadiæ Regis filiis, quum in monte dormientem eum inveniſſent, enarrata, hæc ſubdit: *Unde & ipſe CYLLENIUS, & mons dicuntur, nam Græce* κυλλὴς *aliqua mutilatos parte corporis dicunt, unde etiam* HERMAS *vocamus quoſdam ſtimulos in modum ſignorum ſine manibus.*

Eſt autem Hermarum uſus, quem Pauſanias (7) ab Athenienſibus repetere videtur, adeo antiquus, ut primas ſtatuas Hermas fuiſſe arbitremur; & Tzetzes (8) Dædalum ab Euripide ſpirantium ſignorum artificem dici vult, quod primus & manus, & pedes ſignis

To. I. A ad-

(1) Virg. Æn. libr. 4. v. 356.
(2) Minucius Felix in Octavio pag. 15. edit. Lugd. Batav. 1672. in 8.
(3) Thucydides libr. 6. n. 27. pag. 395. Amſtel. 1731.
(4) Themiſtius Orat. 26. pag. 316. Pariſiis Typis Regiis 1688.
(5) Anthol. libr. 1. cap. 3. epigr. ult.
(6) Servius in libr. 8. Æn. v. 138.
(7) Pauſanias in Atticis libr. 1. cap. 24. in Meſſen. libr. 4. cap. 33.
(8) Iſaac Tzetzes Chil. 1. v. 511. 531.

addiderit. Sed audiamus idipſum docentem Themiſtium: (1) Καὶ πρὸ μὲν Δαιδάλου τετράγωνος ἦν οὐ μόνον ἡ τῶν Ἑρμῶν ἐργασία, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν ἀνδριάντων. Δαίδαλος δὲ ἐπειδὴ πρῶτος διήγαγε τὼ πόδε, καὶ τὰς χεῖρε διῆγε, ἔμπνοα δημιουργεῖν ἐνομίσθη: *Ante Dædalum non Hermæ ſolum quadrata ſpecie fingebantur, ſed & aliæ ſtatuæ; poſtquam vero Dædalus manus, & pedes diduxit, animum quoque viſus eſt addere ſimulacris.*

Verum non opus eſt pluribus de Hermarum forma diſſerere, de qua pleni ſunt libri, & apud Fulvium Urſinum, (2) & Boiſſardum (3) uberrimam facile eſt videre harum ſtatuarum copiam, quibus nec manus, nec pedes ſunt, quæque in quadratum lapidem deſinunt, hominum, aut deorum imaginem ſuperne repræſentantes. Ceterum hinc eſt, quod Cæſari Auguſto ab Indorum Rege donatum *adoleſcentem humeris carentem, cujuſmodi Mercurii fingi ſolent*: καί τι δὲ μειράκιον ἄνευ ὤμων οἵους τοὺς Ἑρμᾶς ὁρῶμεν, ut rem narrat Dio Caſſius, (4) *Hermam* Strabo (5) nuncupaverit: Εἶναι δὲ τὰ δῶρα τόν τε ἑρμᾶν ἀπὸ τῶν ὤμων ἀφῃρημένον ἐκ νηπίου τοὺς βραχίονας: *ea dona fuiſſe Herman a puero brachiis carentem*. Et hinc etiam eſt, quod eleganter ineptum rudemque hominem *Hermam ſtolidiſſimum* dixit Sidonius Apollinaris, (6) imitatus certe illud Juvenalis: (7)

Nil niſi Cecropides, truncoque ſimillimus HERMÆ.

Sed neque eſt omittendum, Hermas præter caput humanum etiam penem habuiſſe, ut videre eſt apud ſumme eruditos viros Urſinum, & Boiſſardum, & eum plerumque erectum, ut in ſtatuis illis Mercurii, quas deſcribit Herodotus (8) τοῦ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα, & Hermas quidem fuiſſe ex Plutarcho (9) conſtat dicente: *Eam ob cauſam etiam Mercurios ſine manibus, & pedibus rigente faſcino ſeniores fingunt*. Διὸ καὶ τῶν Ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους, ἀχείρας, καὶ ἄποδας, ἐντεταμένους δὲ τοῖς μορίοις δημιουργοῦσιν. Macrobius (10) quoque *pleraque*, inquit, *ſimulacra Mercurii quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſignita, virilibus erectis, quæ figura ſignificat Solem mundi eſſe caput, & rerum ſatorem, omnemque vim ejus non in quodam diviſorum miniſterio membrorum, ſed in ſola mente conſiſtere, cujus ſedes in capite eſt*. Demum Artemidorus (11) Hermas vidiſſe teſtatur, qui phallorum inſtar erant: Εἶδον δὲ καὶ ἐν Κυλλήνῃ γινόμενον Ἑρμοῦ ἄγαλμα, οὐδὲν ἄλλο ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον λόγῳ τινὶ φυσικόν.

Qua vero ratione factum ſit, ut quadrata forma Hermis tribueretur, quos τετραγώνους, καὶ κυβοειδεῖς Suidas appellat, idem nos docet, (12) qui cum animadverterit, Mercurium orationis, & veritatis præſidem fuiſſe habitum, ſubdit: *Et ideo etiam ſtatuas ejus quadratas & cubicas faciebant, indicare volentes, hujuſmodi figuram in quamcumque partem ceciderit firmam & rectam ſtare: ſic etiam ratio & veritas undique ſibi ſimilis eſt, mendacium autem varium, & multiplex, & ſecum minime conſentiens*. Hæc autem ex veteri Thucydidis (13) Scholiaſte accepiſſe videtur Suidas; & commentarii loco eſſe poſſunt ad Platonis inſignem ſententiam intelligendam, ubi ſermones veritatis expertes Dædali ſtatuis comparat, (14) quæ pedes, & manus habebant, & ſponte movebantur. Ceterum quod Mercurium cubi forma finxerint veteres, ut Galenus (15) etiam teſtatur, aliam quoque rationem proponit Interpres Homeri, ſcilicet quatuor artes Mercurium inveniſſe, muſicam, palæſtram, litteras, geometriam. Enimvero etiam teſſera, & cubus, licet ſex habeat facies, & octo angulis geometricis comprehenſus ſit, attamen quadrangularis eſt, ſcilicet quatuor lineis angularibus conſtat; unde minus recte ab eloquentiſſimo Viro (16) reprehenditur, qui ex eo quod teſſeræ forma ſex quadris conſtet, non quatuor, *non video*, inquit, *cur ea quatuor artes a Mercurio inventas referat*.

Porro Hermas ἀκώλους, ut verbo utar Pauſaniæ, (17) ideſt *ſine membris*, ut plurimum in publicis viis ponere mos fuit (18), unde *Lares viales* eos vocat Plautus, (19) & cum præ-

(1) Themiſtius loc. cit.
(2) Fulvius Urſinus. Illuſtrium Viror. vultus. Romæ 1569. num. 27. 28. 29. 30. 39. 41. 44. 49. 50. & apud Bellorium Imag. Ill. Viror. P. I. n. 11. 24. 28. 31. 36. 41. P. II. n. 49. 51. 53. 55. 63. P. III. n. 71. 76. 84.
(3) Boiſſardus Antiq. Roman. P. IV. T. 2. p. 117. 134 T. IV. p. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49.
(4) Dio Caſſius libr. 53.
(5) Strabo libr. 15. p. 719.
(6) Sidonius Apollinaris libr. 4. Ep. 12.
(7) Juvenalis Sat. 8. v. 53.
(8) Herodotus libr. 2. p. 108. edit. Lugd. Batav. 1716.
(9) Plutarchus. *An Seni ſit gerenda Reſp.* p. 797. edit. Pariſ. an. 1624.
(10) Macrobius Saturnal. libr. 1. cap. 19.
(11) Artemidorus libr. 1. cap. 47.
(12) Suidas in Lex. v. Ἑρμῶν.
(13) Schol. Thucyd. ad libr. 6. cap. 27. edit. Amſt. 1721.
(14) Plato Men. circa finem.
(15) Galenus Hort. ad artes cap. 3.
(16) Benedictus Averanius Diſs. 46. in Thucyd. n. 4.
(17) Pauſanias in Att. libr. 1. cap. 24. in Meſſen. libr. 4. cap. 33.
(18) Phornutus de Nat. Deorum cap. 16.
(19) Plautus Mercat. act. 5. ſc. 2. v. 24.

præcipue ἐν ταῖς ὁδοῖς ἀδήλοις *in viis incertis*, ut ait Suidas, (1) collocarentur, nempe in biviis, triviis, & quadriviis; idcirco Theagenes apud Heliodorum (2) Caricliam rogans, ut caſus ſcriberet ſuos, inſcribendos ait: ναοῖς &c. ἢ ἀγάλμασιν ἐπισήμοις, ἑρμαῖς τε, καὶ λίθοις ἐπὶ τριόδων: *in templis &c. in illuſtribus ſtatuis*, *in Hermis*, *& in lapidibus in triviis poſitis*. Præterea huc fortaſſe reſpicit etiam Vulgatæ, ut ajunt, Verſionis Bibliorum auctor, ubi in Proverbiis (3) verbum במרגמה vertit *acervum Mercurii*; quin etiam crediderim Mercurium ipſum hinc eſſe dictum VIACUM in inſcriptione illa apud Gruterum: (4)

DEO MEP. . . .
VIACO
M. ATILIVS
SILONIS F.
QVIR. SILO
EX VOTO

quicquid enim ſentiat Gruterus, ipſe quidem ita ſupplendam cenſeo:

DEO MERCVRIO
VIACO

Sed etiam ad pontium capita Hermæ collocabantur, ut ex Ammiano (5) colligitur, necnon in templis (6), in gymnaſiis (7), in palæſtris (8), in bibliothecis (9), in xyſtis, (10) in porticibus (11); & olim ſepulcris etiam ipſis impoſitæ fuiſſe videntur. Cicero enim ubi leges memorat funerum ſepulcrique magnificentiam minuentes, tamquam lege ſanctum recenſet (12): *Neque id opere tectorio exornari*, *nec Hermas hos*, *quos vocant*, *licebat imponi*. Et certe Pauſanias apud quoddam ſepulcrum narrat Mercurium quadratum reperiiſſe. (13) Delectabantur autem illis præcipuum in modum Athenienſes, quos inter Hipparchus Piſiſtrati Tyranni filius plurimos tum Athenis, tum in viciniis late diſpoſuit, (14) unde mirum minime eſt, Ciceronem (15) Academiam ſuam ex illis exornare volentem, e Græcia magnam eorum copiam adſportari Romam curaviſſe. Porro vetus Interpres (16) Juvenalis hoc quoque adnotat, quod *Hermas Athenienſes* ANTE JANUAS *pro Religione poſitos habuere*, unde Mercurio nomen ΣΩΚΟΣ *cuſtos domorum*, (17) & nomen ΣΤΡΟΦΑΙΟΣ *Januarius* (18) tribuuntur. Cum autem frequentiſſime ad camporum fines quoque deſignandos ponerentur, etiam pro Diis Terminis habiti ſunt Hermæ, unde Ovidius (19) cecinit:

Termine, *ſive lapis*, *ſive es defoſſus in agro*
Stipes &c.

& Frontinus (20) terminos Piceni confinia deſignantes *Hermulas* nominat. Demum in deſertis etiam locis, & ſolitariis figebantur Hermæ, cujus moris hanc affert rationem Phornutus (21), quod ibi quoque venerari Deum deceat: Τάχα δὲ καὶ ἐπ' ἐρημίαις, ἐπειδὴ κἀκεῖ τῆς παρασκευῆς αὐτοῦ, καὶ τῆς θεραπείας δεῖ.

Jam vero de duobus Hermis in Circo fixis accuratius differamus, quos *Hermulas* veluti proprio nomine fuiſſe dictos nonnulli crediderunt. Stabant hi Hermæ præ foribus illis, unde in certamen currus effundebantur, & funem, aut catenam carceribus prætendebant,

(1) Suidas in Lex. v. Ἑρμαῖον.
(2) Heliodorus Æthiopicorum libr. 5. cap. 5.
(3) Proverb. cap. 26. v. 8.
(4) Gruterus Inſcript. Antiq. T. 1. p. 55. n. 5.
(5) Ammianus Marcellinus libr. 31 cap. 2.
(6) Scholiaſtes Ariſtoph. in Pl. act. 5. ſc. 1. v. 1554. Thucyd. libr. 6. cap. 27. pag. 395.
(7) Pauſanias in Arcad. libr. 8. cap. 39.
(8) Cicero ep. 10. ad Att. libr. 1.
(9) Juvenalis Sat. 3. v. 218.
(10) Philoſtratus Vit. Sophiſt. cap. 21. n. VII. Cicero ep. 9. ad Att. libr. 1.
(11) Suidas v. Ἑρμαῖ.
(12) Cicero de Legibus libr. 2. prope finem.
(13) Pauſanias in Phocenſ. libr. 10. cap. 12.
(14) Suidas loc. cit. Heſichius v. Ἱππάρχειος.
(15) Cicero ad Att. ep. 4. libr. 1.
(16) Scholiaſtes Juven. in Sat. 8. v. 53.
(17) Phornutus de Nat. Deor. cap. 16.
(18) Pollux Onom. libr. 8. cap. 7. ſegm. 72.
(19) Ovidius Faſt. libr. 2. v. 641.
(20) Frontinus de Coloniis p. 142. inter *Auctores Rei Agrariæ* editos a Goeſio Amſt. 1674. in 4.
(21) Phornutus loc. cit.

bant, ne equi ante ſignum datum, procurrerent. Scholiaſtes Juvenalis ita de his loquitur: (1) *Hermæ &c. ſine manibus, quales videmus in CIRCO.*

Suſpicatur Salmaſius (2) hos Hermas in Circum e ſtadio fuiſſe translatos. Illis affixum erat repagulum illud, quod Græci vocant ὕσπληγξ, ſeu ἀφετήριον ἕρμα, quod quum dabatur ſignum curſus, decidebat in foveam infra Hermas defoſſam, quæ appellabatur βαλβίς, ſeu βαλβὶς γραμμὴ, & eam ita replebat, ut humo æquaretur, ne in illud equi, aut currus offenderent. Innuit hoc Statius in illo verſu (3):

Ut ruit, atque ÆQUUM ſubmiſit REGULA LIMEN.

Caſſiodorus autem (4) loquens poſtea de Circo, dixit: *Biſſena quippe oſtia ad duodecim ſigna poſuerunt. Haec ab HERMULIS funibus demiſſis SUBITA ÆQUALITATE pandun-tur*; licet Pollux videatur (5) non plane diſcernere has res, dicens ubi de ſtadio loquitur ὅθεν ἀφίενται, *unde emittebantur equi* ἄφεσις, καὶ ὕσπληγξ, καὶ γραμμὴ, ἢ βαλβίς. Hinc eſt, quod nonnulli ex his Hermis eo in loco, ubi affixa deberent eſſe brachia, habebant quadrangula quædam cava, intra quæ commiſſa fortaſſe fuerant prædicta ligna, ita appellata a Polluce, ceteriſque Græcis auctoribus. At vero non modo Hermas, qui in ſtadio erant, ita excavatos fuiſſe oportet, ſed fere ceteros omnes, qui erant in palæſtris, gymnaſiis, præ foribus domorum, templorumque; in omnibus enim his locis mos erat Antiquis extendere quoddam genus impedimentorum, quæ Latinis dicebantur *repagula* ad arcendum populum, quæque infigebantur his Hermis. Itaque interdum *Cancelli*, & *Cancellatio* idem ſonant, ac *termini*, aut *limites*; legitur enim in Siculo Flacco (6), quod finium circumſcriptionem alii dixerant *metationem*; alii *limitationem*; alii *CANCELLATIONEM*. Apulejus (7) vero ſcripſit *inter Orci cancros*, ideſt *cancellos*: hæc enim vox diminutive ab illa ducitur, adnotante Feſto (8), ut ſignificaret idem, quod aliis verbis alibi dixerat: *In peculio Proſerpinæ, & Orci familia numeratur* Quum autem hæc lignea repagula ita eſſent Hermis infixa, ut ea removeri inde poſſent, fortaſſe elaborarunt parvam illam marmoream teſſeram, notatam litera A, quæ perfectè aptabatur in eo, quod innuimus, cavo. Illud tamen in nullis aliis Hermis memini me vidiſſe, præterquam in altero horum, quos hic appingimus, & qui reperti fuere propè Viam Appiam extra Portam Latinam, nunc vero ſervantur in Ædibus Corſinianis.



Ve-

(1) Scholiaſtes Juvenalis in Sat. 3. v. 218.
(2) Exercit. Plin. p. 648. Edit. Ultraject. 1689.
(3) Stat. libr. 6. Theb. v. 593.
(4) Caſſiod. libr. 3. epiſt. 51.
(5) Poll. libr. 3. cap. 30. ſeg. 147.
(6) In Collect. Goeſii pag. 16.
(7) Apul. Metam. libr. 6. pag. 181. ad uſum Delph.
(8) Feſt. in v. *Cancri*.

Verum quod hic mihi eximium valde videtur, æque ac rarum, illud eſt, quod uterque ſit totus totus veſtitus, etenim plerumque nudi erant Hermæ, licet etiam Pauſanias (1) meminerit Hermæ ἐς τὸ τετράγωνον σχῆμα *in formam quadrangulam*, qui inſtar ſe induentis apparebat: & in nummis familiæ Pupiæ obſervetur Herma ſuperne dimidium veſtitus: & in Muſeo Florentino (2) Hermeracles ex oniche, tectus pelle leonis ab humeris umbilico tenus, ſimilis alii ex marmore cinericio in Ædibus Veroſpianis, altitudine quinque palmis circiter. His duo Hermæ in noſtro Capitolino Muſeo exiſtentes compares ſunt, quorum alter caput habet Herculis, alteri, qui veſtitus eſt, hæc adeſt epigraphe:

ΑΙΛΙΑ
ΠΑΤΡΟΦΙΛΑ

& utrumque Tabula I. & II. hic ponimus. Demum Hermæ pariter veſtiti, licet pauci, viſuntur in gemmis antiquis, & in aliis numiſmatibus.

Quod ſpectat ad materiem, Hermæ antiquitus efformabantur ex ligno, ut inter ceteros affirmare videtur Ulpianus (3) Scholiaſtes Demoſthenis: Ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν ἔχοντες ὄψιν Ἑρμῦ ἐπάνω. *Erant ſtatuæ quadratæ ligneæ, aut lapideæ, faciem Mercurii habentes in vertice.* Id videntur reſpexiſſe Tibullus (4), & Ovidius (5). Interdum vero marmoreo ſuper trunco aerea capita imponebant. Hujus generis Hermarum meminit Tullius, qui erant ex lapide pentelico, Romæ nunc appellato *Portaſanta*, quia ex ipſo facti ſunt poſtes aliquarum ex illis januis, quæ ſolemniter panduntur in Baſilicis majoribus Anno Jubilæi: *HERMÆ tui* (ait Cicero ad Atticum) (6) *PENTELICI, cum capitibus ÆNEIS, de quibus ad me ſcripſiſti, jam nunc me admodum delectant.* Ubi neſcio cur Jacobus (7) Guter ſemper legat *Pentolici*. Illud autem confirmat quoque vetus Scholiaſtes Juvenalis (8) dicens: *HERMÆ effigies ÆNEÆ, aut marmoreæ.* Ceterum hæc capita & imponi, & amoveri poterant, uti in duobus Hermis Corſiniorum apparet, in quibus manifeſta eſt commiſſura ad capita inferenda. Conſueverant Antiqui interdum eos floribus coronare, & quoſdam præcipuè certis temporibus; Xenocrateſque impoſuit auream coronam Hermæ, quem ſolebat alias coronare floribus, quod legitur in Athenæo, (9) & apud Laërtium, (10) & apud Ælianum (11). Ex veteri inſcriptione apud Gruterum (12), & Urſatum (13) Hermam quemdam quotannis roſis coronari ſolitum innoteſcit:

PETRONIO. JUCUN
VI. VIR. SENI
PETRONIA. MIRA. L. F. PATRONO
QUAE H. S. CCCC. LEG. POSSESSORIB
VICI. BARDOMAG. IN HERM.
TUEND. ET. ROSA. QUODANNIS
ORNANDUM

Neque hi lapides ſolius Mercurii capite inſigniti fuerunt, ſed etiam aliorum Deorum. Pauſanias (14) meminit Hermæ cum capite Apollinis: Ἔστι καὶ Ἀπόλλωνος ἄγαλμα κατὰ τῆς Ἑρμοῦ τῆς τετραγώνους τέχνην: & alibi (15) alterius, qui caput Veneris habebat; & apud Boiſſardum (16) videmus Hermam cum capite Silvani, frondibus pineis coronato: & eruditiſſimus Ezechiel Spanhemius (17) adfert alium cornutam habentem faciem, quem ipſe putat Neptunum Taurum; ſed Henricus Chriſtianus Henninius (18) arbitratur potius eſſe Deum Pana. Hinc autem eſt, ut his marmoribus varia obtigerint nomina, pro Numinum

(1) Pauſan. in Arcad. libr. 8. cap. 39.
(2) Muſ. Florent. T. I. Tab. 40.
(3) Ulpian. in Demoſth. Orat. contra Leptin. pag. 590. edit. Francof. 1604.
(4) Tibull. libr. 1. eleg. 1. v. 15.
(5) Ovid. Faſt. libr. 2. v. 641.
(6) Cic. ad Attic. libr. 1. epiſt. 8.
(7) Gut. De jur. Man. libr. 2. cap. 28.
(8) Schol. Juv. ad Satyr. 8. v. 53.
(9) Athen. libr. 10. cap. 10. pag. 437. edit. Lugdun. 1612.
(10) Diogen. Laërt. libr. 4. cap. 2. pag. 98. edit. Londin. 1664. f.
(11) Æl. Variar. Hiſtor. libr. 2. cap. 42.
(12) Grut. Inſcrip. pag. 449. n. 5.
(13) Urſat. de Not. Rom. pag. 242. in v. HERMÆ.
(14) Pauſ. in Arcad. libr. 8. cap. 32.
(15) V. Cæl. Rhodig. libr. 29. Antiq. lect. cap. 18.
(16) Boiſſard. Antiq. Rom. T. II. p. 134.
(17) Spanhem. De uſu, & præſt. Numiſ. Diſſ. 7. pag. 396. edit. Londin. 1706.
(18) Chriſt. Henn. Not. ad Bergier, libr. 4. cap. 43. §. 14. De pub. Imp. Rom. viis.

varietate, quæ referebant, dictaque fuerint Hermerotes (1), Hermanubis (2), Hermeracles (3), Hermathenæ, quorum poſtremorum mentionem facit Cicero (4), licet ipſe propriè loquatur de quibuſdam προτόμαις, quæ duo capita habebant, alterum Mercurii, Minervæ alterum. In noſtro Capitolio adſervantur duo capita Deorum marinorum avulſa ex Herma, & alterum Jovis Hammonis, quod mirè illuſtrare poſſumus ex Pauſania ſcribente (5), Hammonis vidiſſe ſtatuam Hermarum inſtar factam, cui erat caput arietinis cornibus ornatum. Vide Maffejum *De Gemmis* T. 2. n. 30. Deinde receptum eſt Hermas ſculpere cum capitibus Virorum illuſtrium, qui præſtabant vel virtute, vel doctrina, quod præcipuè conſueverunt Athenienſes. Quiſquis tali honore donatus fuerat τετράγωνος ἀνὴρ *vir quadratus* a Simonide (6) dicebatur. Et hinc fortaſſis nos Itali *teſta quadra* hominem ſani judicii appellamus. Dantes autem, divinus ille poëta, fortem, & conſtantem virum, *tetragono* vocavit. Tales erant Hermæ, quos Arnobius (7) ait habuiſſe faciem Alcibiadis, & quos latè diſpoſuit Hipparchus, quemadmodum ſupra meminimus. Præſetuliſſe enim eos ſapientiſſimorum, fortiſſimorumque virorum Græcorum imagines facile mihi ſuadeo, quum Heſichius (8) nos moneat, inſcripta in illis fuiſſe epigrammata, quæ ad imitationem legentes excitarent: Ἐπιγράψας εἰς αὐτὰς ἐλεγεῖα δἰ ὧν ἔμελλον βελτίους οἱ ἀναγινώσκοντες γίνεσθαι. *Subſcripſit ipſis inſcriptiones, ex quibus legentes meliores fierent*. Plutarchus (9) autem narrat, Cimoni poſitos fuiſſe tres Hermas, quorum unicuique ſua erat inſcriptio. Cum autem hæ inſcriptiones, licet in eis Cimonis nomen minime appareret, eximia tamen & ſingulari laude, eodem admonente Auctore, Cimonem cumulaverint, dicendum eſt ipſorum Hermarum capita illum retuliſſe ad vivum, nec recte, qui indicem operum Plutarchi concinnavit, Mercurium eos repræſentaſſe putans indicavit ſub titulo *Mercurii Statuæ*. Etiam Interpres Vitarum decem Oratorum, quas idem ſcripſit Plutarchus (10), ἀγάλματα fuiſſe Hermas, qui Mercurium tantummodo referrent credidit, quod falſum eſt. Narrante enim Plutarcho, Andocidem, cum temulentus rediret a cœna, fregiſſe τὶ τῶν ἀγαλμάτων τοῦ θεοῦ, *quamdam Dei ſtatuam*; interpretatus ille eſt, *quamdam Mercurii ſtatuam*. At vero vox Hermæ tum apud Græcos, tum apud Latinos ſæpè ſignificat non Mercurii ſtatuas, ſed ſaxa tetragona cum capite, aut Numinis alicujus, aut viri illuſtris. Videtur etiam id colligi ex allato Ciceronis loco (11): *Hermæ illi tui Pentelici, cum capitibus æneis &c. nunc admodum me delectant*. Haud enim veriſimile eſt, omnes repræſentaſſe Mercurium, quum potiſſimum eodem in loco ponendi eſſent ad ornatum. At Hermas factos fuiſſe ad repræſentandos illuſtriores etiam viros, habetur ex Ariſteneto, (12) qui ancillam inducit dominæ dicentem ſuæ, Hermas potius excudendos fuiſſe ad ejus amantis ſimilitudinem, quam Alcibiadis, quem ille aliarum etiam feminarum ſententia pulchritudine vincebat. Videatur Herma bifrons, quem nobis exhibet Spanhemius (13) faciebus altera virili, & altera muliebri, quas ipſe putat eſſe Ptolemæi, & ejus uxoris, licet Henninius (14) ſupra laudatus eum putet Bacchum juvenem. Tamdem videantur Urſinus, & Boiſſardus, (15) & alii, qui antiqua cimelia collegerunt, apud quos magna eſt horum Hermarum copia, in quibus, licet careant capite, inſcripta ſuperſunt nomina inſignium, doctorumque virorum. Comprobat autem hoc, quod ſcripſit Philoſtratus (16), ut ὁ πόσοι τῶν πάλαι ῥητόρων Ἑρμαῖ ἦσαν ἐν τοῖς τῆς οἰκίας δρόμοις, ἐκέλευσε τούτους βάλλεσθαι λίθοις: *quotquot erant Hermæ veterum rhetorum in ſolariis, ſeu pinacothecis domeſticis, mandavit dejiciendos lapidibus*. Id pariter oſtendit, innumeros fuiſſe antiquitus hos Hermas, multos tamen truncatos, quales ſunt ex illis multi, qui in præſens reperiuntur, pretioſæ temporis, & Barbarorum relliquiæ. Sponius (17) teſtatur, ſe incidiſſe in Hermas Xenocratis, & Theonis; & alibi (18) dicit: *Exſtant adhuc Romæ quamplu-*

ri-

(1) Plinius libr. 36. cap. 5. meminit Hermerotæ, ſculpti a Tauriſco, & apud Beger. Theſaur. Brandemb. T. I. pag. 79. habetur Hermerotes alatus.
(2) Spon. Diſſert. 6. *Recherch. des antiquit.*
(3) Ariſt. orat. De laudibus Herculis in fine: Ἀλλὰ μὴν Ἑρμοῦ γε καὶ Ἡρακλέους ἐστι νῦν ἀγάλματα κοινά. *At Mercurii, & Herculis nunc ſimulacra communia ſunt*.
(4) Cic. ad Attic. libr. 1. epiſt. 1., & 4.
(5) Pauſanias libr. 8. cap. 23.
(6) Plat. in Protag. T. I. pag. 339. edit. Serrani.
(7) Arnob. libr. 6. pag 224. edit. Baſil. 1546. 8.
(8) Heſich. in v. Ἱππάρχειος.
(9) Plut. in vit. Cim. pag. 482. edit. Pariſ.
(10) Idem in Vit. X. Orat. cap. 2.
(11) Cic. ad Attic. libr. 1. epiſt. 8.
(12) Ariſt. libr. 1. epiſt. XI.
(13) Span. De præſt. Numiſ. pag. 363.
(14) Henn. Not. ad Berg. libr. 4. cap. 43. de Pub. & Milit. Imp. Rom. viis.
(15) Boiſſard. T. IV. pag. 41. Antiq. Rom.
(16) In Vit. Sophiſ. libr. 1. cap. 21. n. 7.
(17) Spon. Diſſert. 6. *Recherch. des Antiq.*
(18) Idem Diſſert. 6. Rei Antiq. ſel. quæſ.

rimæ iſtiuſmodi ſtatuæ a Græcia petitæ , quæ multorum offerunt Poëtarum , Philoſophorum , Imperatorumque Græcorum capita : nempe Homeri , Ariſtotelis , Platonis, Thucydidis , Herodoti , Themiſtoclis , aliorumque, quas effigies Fulvius Urſinus , Theodorus Vallienſis , & Caninius inter virorum illuſtrium imagines exprimendas curavit . Interdum eos inſcriptos fuiſſe nomine illius , qui in Herma repræſentabatur , docet Nicolaus Bergierius (1) *Athenienſes praeter ceteros, eum quoque morem habuerunt, ut VIRIS præclarè DOCTIS, ET VIRTUTE EXCELLENTIBUS, Hermas quadratos erigerent, ADDITO litera quadrata EPIGRAMMATE.* Hujus rei argumenta ſunt marmora paulo ante (2) laudata, & Plutarchus (3) memorat duas imagines Iſocratis cum carminibus inſcriptis.

Sed illud acceſſit incommodi , hos Hermas magna ex parte eſſe aut abſciſſo capite , aut trunco ibi fracto , ubi nomen inciſum erat , unde ignoratur , quemnam repræſentent . Neque vero hoc malum eſt noſtræ ætatis , ſed antiquiſſimum ; illius enim Græci veteres Scriptores meminerunt , & hanc detruncationem appellant (4) τῶν Ἑρμῶν περικοπὴν , unde illam patrantes dicuntur Ἑρμοκοπίδαι (5) . Verum neque deſunt Hermarum capita, queis etiamnunc adhæret trunci pars cum inſcriptione, licet minus certi ſimus, utrum ab auctore Hermæ appoſita fuerit , an vero addita iis temporibus , quibus adhuc notum erat, quem hic, aut ille Herma repræſentarent . In re adeo ancipiti, hæc duo adhibeamus oportet, tutiſſima, & fideliſſima argumenta , videlicet collationem cum numiſmatibus, aut certorum Scriptorum deſcriptionibus, & diligentem in ea , quæ rem circumſtant, animadverſionem . Hoc plane conati ſumus exequi in his obſervationibus , quæ breviſſimo tempore elucubrandæ nobis fuerunt, iis, qui majori otio, & eruditione, quam nos, abundant , loco relicto proſequendi has inquiſitiones , ſperamuſque fore , ut auxilio elegantis, copioſæque collectionis numiſmatum , aut felici aliquo caſu detegi poſſint nomina illuſtrium , meritiſſimorumque virorum , qui in his iconibus repræſentantur , nobiſque adhuc ignoti ſunt .

Sed hoc quoque animadvertamus hic oportet, ſingularem eſſe hanc Capitolinam collectionem , tum ob excellens artificium , tum ob ingentem copiam horum Hermarum , quorum in celeberrimis Europæ Muſeis vix octo , aut decem reperiuntur . Si enim tanti æſtimantur, & jure quidem capita Græca repræſentantia Numina fabuloſa , quæ tantummodo in mente Ethnicorum Poëtarum exſtiterunt ; quantò majori in pretio habendæ erunt , & pluſquam aurum , & argentum conſervandæ tot virorum imagines , qui per tot ſæculorum lapſum famam ſuam extenderunt vel magnitudine fortium facinorum , vel doctrina , & eruditione, quam adhuc in eximiis illorum libris miramur ? Sicuti verò imagines pictæ a veteribus pictoribus , ſimillimæ erant ſuis archetypis , teſtante Plinio (6) : *Imaginum quidem pictura , quammaxime ſimiles in ævum propagabantur figuræ* ; ita etiam arbitror fuiſſe illas , quæ a Sculptoribus elaborabantur , quum ambæ hæ artes ad eam perfectionem perveniſſent , quam oſtendunt opera , quæ ſuperfuerunt barbariei , temporumque voracitati . Cumque hæ προτομαὶ magna ex parte eductæ ſint ex villa Hadriani Tyburtina, teſte Urſino (7), exquiſitiori commendantur artificio, æque ac cetera marmora excuſa ætate illius Imperatoris, qui fuit, ut ait Pub. Victor (8): *Pictor, fictorque ex ære, vel marmore proxime Policletos, & Euphranoras.*

Ceterum in hiſce noſtris Animadverſionibus verbum non fecimus, niſi obiter, de vita , operibus , & multò magis de laudibus eorum, quos hæc marmora repræſentant , licet Urſinus, Faber, Bellorius, Maffejus, aliique antiquitatum periti, fere de his tantum verba fecerint. Noſtri conſilii rationem explicabimus verbis Gronovii (9): *Nam vitas ſingulorum ſcribere, hoc eſt, retexere, quæ millies evomuerunt alii, non eſt ratio mea, & ab eo tantopere abſum, ut puras relinquere paginarum partes ſatius duxerim, quam talibus næniis , aut me , aut cartam fatigare .* Quamquam poſt hæc operam inſumpſerit etiam ipſe in referendis iis, quæ prætermittenda eſſe ſapienter dixerat.

APU-

(1) Nicol. Berg. de Pub. & Milit. Imp. Rom. viis libr. 4. cap. 43. n. 4.
(2) Vide pag. 2. notam 2. & pag. 6. not. 15.
(3) Plut. Vit. X. Orat. cap. 4.
(4) Plut. in Nicia in princip. pag. 523.
(5) Pauſan. apud Scholiaſ. Thucyd. libr. 6. n. 27.
(6) Plin. libr. 35. cap. 2.
(7) Urſ. Præf. part. 2. Imag. illuſtr. Viror.
(8) Pub. Vict. Epitome p. 203. edit. ad uſum Delph.
(9) Gron. Antiq. Græc. T. II. in Præfat.

A P U L E J U S. I.

L. Apulejus Madauræ in Numidia natus, non longe a Tagaſta B. Auguſtini (1) patria, imperante Hadriano floruit. Pulcher aſpectu hac προτομῇ repræſentatur; quod quidem ei vitio vertit Tannonius Pudens, quaſi venuſtas philoſophum dedeceret Græce Latineque doctum, ut Apulejus habebatur: (2) *Accuſamus apud te philoſophum* FORMOSUM, *& tam Græce, quam Latine, proh nefas! diſertiſſimum*. Verum non id eo conſilio fecit, ut eum criminaretur, ſed ut ſuum adverſarium in ſuſpicionem adduceret, ſecundum Voſſii animadverſionem (3). Hic autem eſt promiſſa cæſarie, qualem ipſe in Apologia ſua eam deſcribit (4): *Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris* PROMISSUM *dixere, vides quam non ſit amœnus, & delicatus, horrore implexus, atque impeditus, ſtuppeo tormento adſimilis, & inæqualiter hirtus, globoſus, & congeſtus; prorſus inenodabilis diutina incuria non modo comendi, ſed ſaltem expediendi, & diſcriminandi*. Eleganti huic deſcriptioni plane reſpondet noſtrum marmor. Apud Fulvium Urſinum, & Chriſtinam Svecorum Reginam ſervabatur Apuleii numiſma maximi moduli, unde expreſſa fuit imago illa, quæ videtur apud Bellorium (5), & Gronovium (6). Romæ in domo DD. Maximorum reperiebatur ejus προτομὴ marmorea, diademate coronata, qualis qualis erat in utroque illo numiſmate. Habetur ejus imago etiam in quadam carneola ſculpta. Προτομὴ autem illa marmorea in poteſtatem venit D. Gaſparis de Haro tunc temporis Hiſpaniarum Regis apud Pontificem Oratoris. Apulejum ab Oenſibus efflagitaſſe, ut ſibi ſtatuam ponerent, ex eodem B. Auguſtino (7) diſcimus.

V E R G I L I U S. II.

Apud Urſinum (8) numiſma exſtabat cum imagine Vergilii Poëtarum Latinorum principis, qui ab Alexandro Severo *Poetarum Plato* jure fuit appellatus, quin etiam ejus effigiem in *ſecundo larario* habuit, ut teſtatur Lampridius (9). Caput illi lauro coronatum, & ante eum larva alata ſtylobati impoſita erat. Bellorius (10) Petri Stephanonis gemmam exhibet, in qua tota eſt imago Vergilii pariter laureati, brachiumque exerentis e pallio, ac ſi geſtum faceret ad ſua carmina recitanda. Jo. Faber (11) Bambergenſis, qui Medicinam faciebat Romæ in noſocomio S. Spiritus in Saxia, carneolæ inſculptæ, annuloque inſertæ, in qua Vergilius ſtans repræſentabatur, meminit, & tabulæ marmoreæ, quæ ipſum ſedentem exhibebat. Adfirmat laudatus Bellorius (12), Fabrum expreſſiſſe Vergilii imaginem ex numiſmate Urſiniano; verum unde hoc hauſerit, me latet; cum id tantum teſtetur Faber, Urſino quamdam etiam fuiſſe ejuſmodi imaginem amethyſtinam. Præterea addit idem (13) Bellorius de imaginibus hujuſce Poëtæ loquens: *Ad quas confirmandas & aliam prorſus ſimilem, at ſine larva, ex vetuſto Codice Auguſtæ Vindelicorum, ut in ſubſcripto inibi titulo, delineatam adfirmamus*. Fortaſſe Vergilius e conſpectu illius larvæ exhibetur, quod eclogæ ſint quoddam paſtoritiæ comœdiæ genus: atque hinc Donatus in ejus vita ſcribit: *Bucolica eo ſucceſſu edidit, ut in ſcena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur*. Hæc tamen Fortunio Liceto (14) minime probantur; adfirmat enim ad poëtam hunc ſymbolice repræſentandum non Bucolica, ſed excellentiora ejus opera adhibenda omnino fuiſſe: quare gemmam hanc Terentio, aut Plauto, aut alii poëtæ comico, tragicove tribui mallet. Leonardus Auguſtinius (15) contendit, per larvam illam ſignificari memoriam, quam invocare ſolebant poëtæ, ut fecit Dantes (16), idque rationibus nititur confirmare. At Gronovius (17), cui ſuffra-

(1) S. Aug. Confeſſ. libr. 2. cap. 3.
(2) Apul. in Apol. 405. edit. ad uſum Delph. 1688.
(3) Voſſ. Inſtit. Orat. libr. 3. c. 2. §. 3.
(4) Apul. in Apolog. pag. 407.
(5) Bell. Imag. Illuſtr. Viror. p. 1. n. 3.
(6) Jacob. Gron. Antiquit. Græc. vol. 3. nnnn.
(7) S. Auguſt. Epiſt. 138. n. 19.
(8) Ful. Urſ. part. 2. n. 67. aut 68.
(9) Lampr. in Alex. Sev. pag. 124. edit. Pariſ. 1620. fol.
(10) Bellor. Imag. Illuſtr. Viror. par. 2. n. 68.
(11) Jo. Faber Imag. Illuſtr. Viror. n. 148.
(12) Bellor. loc. citat.
(13) Bellor. ibid.
(14) Fort. Lic. Gemm. Antiq. cap. 118.
(15) Leon. Auguſt. Gem. Antiq. t. 1. n. 68.
(16) Dant. Inf. 2.
(17) Gron. Antiq Græc. vol. 3. qqq.

fragatur eruditiſſimus Gorius (1) quarumcumque antiquitatum peritia nulli ſecundus, adſtruit, per larvam denotari Manes, atque id fuſiori calamo proſequitur; proindeque illum conſulat lector.

Hæc Capitolina προτομὴ ipſum nobis exhibet grandi corporis conformatione, at vultu modeſto; quæ quidem cum iis congruunt, quæ de eo ſcribit Donatus: (2) *Corpore & ſtatura fuit* GRANDI, *aquilo colore*, *facie ruſticana*. Quod ad ejus modeſtiam ſpectat, præter id, quod ex ſuis adparet carminibus, notum eſt teſtimonium Servii (3), qui ait: *Adeo autem verecundiſſimus fuit*, *ut ex moribus cognomen acciperet*; *nam dictus eſt Parthenias*. Inter antiquas ſtatuas a Maffejo (4) editas quædam habetur hunc ipſum poëtam exhibens, in cujus baſi legitur inſcriptio; at cum incertum ſit, an illa eſſet alterius ſtatuæ, incertum pariter eſt, an illa ſtatua Vergilium referat. Videſis ejuſdem Maffeji enarrationem, qui, quum facies illius ſimulacri ſit ætatis provectioris, quam quæ in numiſmate adparet, & ob alia quoque ſigna, valde animo pendet. Prætermittere illud nolim, quod paſſim in Romanis bibliothecis reperiebantur imagines hujuſce inſignis poëtæ, quas delere voluit Caligula, teſte Svetonio, (5) & quod ejus ſtatuas Silius apud ſe ſervatas venerabatur, ut ſcribit Plinius (6).

ASCLEPIADES. III.

Asclepiades ex Ilio in Peloponneſo, philoſophus, & Stilponis diſcipulus, vixit paulo poſt obitum Alexandri Magni. Cicero (7) eum vocat *non ignobilem*, *nec inexercitum philoſophum*, ſive ut melius alii legunt, *non ignobilem Ereticum philoſophum*; additque oculorum lumen amiſiſſe. Quare exiſtimarem potius, hoc caput repræſentare Aſclepiadem Pruſiæ in Bythinia medicum, virum longe illo celebriorem, ac mirifice a Plinio, (8) & a Celſo (9) laudatum, de quo etiam ſcribere non dubitavit Apulejus (10): *Aſclepiades ille inter præcipuos medicorum*, *ſi unum Hippocratem excipias*, *ceteris princeps*. Plinius (11) autem de eodem teſtatus eſt: *Univerſum prope humanum genus circumegit in ſe non alio modo*, *quam ſi Cœlo emiſſus adveniſſet*. Porro etiam eloquentiæ laude ceteros medicos antecelluit, unde eſt familiariter uſus Craſſo Oratore, qui vixit anno circiter 660. ab U. C. ut eruitur ex illis verbis ejuſdem Craſſi apud Tullium: (12) *Neque vero Aſclepiades is*, *quo nos medico*, *amicoque uſi ſumus*, *tum quum eloquentia vincebat ceteros medicos in eo ipſo*, *quod ornate dicebat*, *medicinæ facultate utebatur*, *non eloquentiæ*. Sed hoc etiam nomine alius quidam medicus Imperatore Trajano floruit; nam de eo loquitur inſcriptio quædam a Reineſio (13) ad trutinam revocata. Itaque ob id quoque, quod caput hoc barba careat, facile adducor, ut credam, unum ex his duobus medicis potius repræſentare, quam philoſophum. Nomen inſcriptum eſt antiquo charactere, omneſque habet notas ſinceritatis; inciſum autem eſt προτομή, quæ una cum ſuo capite integra ſupereſt.

CAPUT IGNOTUM. IV.

Multis horum Hermarum ideo hanc adpoſuimus inſcriptionem, quia non clare ſatis compertum nobis fuit, eorum revera eſſe imagines, quos ex parte referre videntur; quamquam id certe patet, quamdam eas habere ſimilitudinem cum nonnullis capitibus, quæ in antiquis nummis ſunt obvia. Verum ut quam cautiſſime in hac materia verſemur, ſatius duximus rem in medio relinquere, ut cuique liceat nova ſigna inveſtigare ad veritatem eruendam. In quibus autem aliqua invenimus argumenta ſatis probabilia, aut gravium Scriptorum auctoritatem, aut venerabilis Antiquitatis mo-

C nu-

(1) Gorius Muſ. Florent. T. 1. claſſ. 3. pag. 98.
(2) Donat. in Vita Virg.
(3) Serv. in Æneid. libr. 1. v. 1.
(4) Maff. *Raccolta di Statue* n. 22.
(5) Svet. in Vita Calig. cap. 34.
(6) Plin. libr. 3. epiſt. 7.
(7) Cic. Tuſcul. libr. 5. pag. 1203.
(8) Plin. Hiſt. Nat. libr. 7. cap. 37.
(9) Corn. Celſ. libr. 4. cap. 4. n. 3. & alibi, nam ſæpe utitur illius auctoritate.
(10) Apul. Florid. n. 19. pag. 819. edit. Pariſ. ad uſum Delphin.
(11) Plin. Hiſt. Nat. libr. 26. cap. 3.
(12) Cic. De Orat. libr. 1. cap. 14. tom. 1. pag. 86.
(13) Rein. epiſt. 46. pag. 394.

numenta, nobis in gemmis, & marmoribus, aut alia quavis ratione conſervata, illis nomen adſcripſimus, auctoritati clariſſimorum virorum inhærentes, maxime vero Fulvii Urſini, & Jo. Petri Bellorii, qui in hoc ſtudio toti ſemper fuere. Nuſquam illi æterni nominis Scriptores credulitate hominum abutuntur; & ſi quando ob defectum exactæ artis criticæ, quæ nondum ætate illorum ſatis erat expolita, a vero aberraſſe deprehenduntur, non ideo eorum labores rejiciendi ſunt, & parvifaciendi, nec dicendum, antiquarum peritos rerum certa pro incertis audaci temeritate venditare, ut quidam ſcripſerunt, qui conantes hoc ſtudium tutius reddere, profecto illud omnino deſtruunt, quum de omnibus dubitent, ac dubitandum doceant. Porro ſi locus uſque dum intactus hodie effodiatur, ac reperiatur προτομὴ ex. gr. Varronis non ſolum cum inſcripto nomine Cl. illius Viri, ſed etiam longa epigraphe; quamvis eam προτομὴν ſciamus ſibi procuraſſe Aſinium Pollionem, ut in ſua bibliotheca eam collocaret, ut teſtatur Plinius (1), quamvis etiam manifeſto phraſis, litterarumque forma ætatem Pollionis ſaperent; tamen nemo non videt, poſſe aliquem, qui cavillari velit, ſemper in dubium revocare illius inſcriptionis ſinceritatem, ac ſuſpicari, ſitne commentum recentioris alicujus, qui, quum id probe noverit, & præterea antiqua fingere calluerit, fucum populo facere voluerit. Calumniari itaque Urſinum, & Bellorium, eorumque ſimiles Antiquitatis ſtudioſos, quod ea, quæ non ſunt, prædicaverint, res eſt audaciæ plena. Achilles profecto Statius, ut ingenue ageret, in præfatione ad primam partem imaginum Urſini profeſſus eſt: *Acciderit fortaſſe deinde hominum errore his imaginibus, quas nunc edimus, ut qui truncus, aut trunci pars ſine capite fuit, aut ſine trunco caput, falſo poſt manu adjutum cohæſerit, caputque ſuum truncus, truncus ſuum caput deſideret; ſed hoc illi viderint, ac ſi qua eſt, eam quoque culpam præſtent. Nos enim* SUMMA FIDE, *quod extat, atque ut extat, edimus*. Fulvius ipſe Urſinus (2) eadem ingenuitate fatetur, nomina Thaletis, & Diogenis recenter addita fuiſſe, & capita Ariſtophanis, Heracliti, Carneadis, & Iſocratis eſſe alterius προτομῆς, ideoque contemnendum eſſe nomen ipſis ſubſcriptum, ſubjiciens: *Volui vos admonuiſſe, ne veritatis ignoratione, falſa illa, ac ſubdititia inſcriptione deciperemini*. Quæ quum ita ſint, equidem neſciverim, an certo dici poſſit, quod recentior quidam eruditus nuper typis commiſit: *Capita ab Urſino* PLERUNQUE EX INGENIO, *vel conjectura huic, aut illi philoſopho, poetæ, aut Heroi tributa fuiſſe: quædam ex nummis petita ſunt &c. ſed multis ex his nummis cum alibi viſi non ſint*, SUBLESTÆ OMNINO FIDE. *eſſe debent*. Nos quidem de Viris adeo eruditis, ac rei antiquariæ peritiſſimis nunquam talia prædicare auderemus, neque illos reprehendere, qui de hac re ſcribentes tanti fecerunt illorum auctoritatem. Quinimmo ſperamus Lectores æqui, bonique facturos, ſi nos ſecernentes, quæ ab ipſis, ut dubia, incerta, aut vana, vel etiam evidenter falſa, propoſita ſunt, candide ac ſincere ipſis utemur auctoribus in iis, quæ ipſi probabilia, & veroſimiliora putant, etſi evidentia careant geometrica, quæ in his haberi non poteſt. Idcirco quidem non arbitramur, nos digito monſtrandos eſſe, ac proinde monendos illis verbis, quæ bono fortaſſe conſilio, ſed injuria adverſus eruditiſſimum celeberrimumque interpretem veterum cujuſcumque generis monimentorum adhuc viventem memoratus ſcripſit recentior auctor: *Quæ omnia monuiſſe neceſſe eſt, ne pergant ſemper Antiquarii* INCERTA *nobis pro certis obtrudere; atque illa ſua* CONFIDENTIA, *ſive potius* AUDACIA *nobiliſſimo Antiquitatis ſtudio* VANITATIS NOTAM *inurere*. Enimvero nimis juveniliter hæc ſcripta ſunt.

ARISTOTELES. VIII.

Bellorius (3) duas exhibet diverſas hujuſce philoſophi imagines; quarum altera expreſſa eſt e marmore reperto ad radices montis Quirinalis anno 1592. circiter, & inſcriptum habet nomen in baſi, ut teſtatur Faber (4), qui coniicit, fortaſſe illam eſſe, quam apud ſe habebat Pomponius Atticus, de qua etiam Cicero (5) ait: *Maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub* IMAGINE ARISTOTELIS *ſedere, quam in iſtorum Sella Curuli*. Et revera Attico domus erat ad radices Quirinalis, ut teſtatur Nepos (6), & ipſe Cicero (7), qui prope templum Quirini ejus domum collocat; quam Publius etiam Victor

(1) Plin. Hiſtor. libr. 7. cap. 30.
(2) Fulv. Urſ. Imag. Viror. Illuſtr. Præf. part. 2.
(3) Bellor. Imag. Viror. Illuſtr. part. 1. n. 8.
(4) Faber. Comment. ad Imag. Viror. Illuſtr. n. 35.
(5) Cic. ad Att. ep. 10. libr. 4.
(6) Corn. Nep. in Vita Attic. cap. 13.
(7) Cic. de Legib. libr. 1. in princ.

ctor poſt dictum templum in regione ſexta conſtituit. Capillos admodum breves imago præfert, quales habere conſuevit hic Philoſophus, ſi fides habenda Æliano (1) & Diogeni Laërtio (2), ob idque ſimultatem aliquam cum Platone exercuit, qui promiſſam barbam, cæſariemque nutriebat, quum illi, qui tondebantur, teſte Muſonio, (3) effeminati, ac molles exiſtimarentur. Laërtius (4) auctore Timotheo Athenienſi addit, minutis oculis, ac cruribus fuiſſe uſum, macrumque exſtitiſſe: Τραυλὸς τὴν φωνὴν, καὶ ἰσχνοσκελὴς &c. ἦν καὶ μικρόμματος. Idem Laërtius (5) hujuſce Philoſophi imaginem commemorat, quam Theophraſtus teſtamento juſſit in templo collocari. Effigies, quam publicarunt Faber, & Bellorius, in humeris parum panni habet concinne plicatum, quale etiam in hac noſtra προτομῇ adparet, forte quia, ut ipſe Laërtius (6) ſcribit, veſte concinna utebatur: ἐσθῆτι ἐπισήμῳ χρώμενος. Sidonius Apollinaris (7) innuit, Ariſtotelem ſolitum fuiſſe repræſentari *brachio exerto*; at id commune erat philoſophis palliatis.

Gronovius (8) autem Bellorium reprehendit, quod dicat effigiem illam, cujus ipſe ectypum refert, naſum habere aquilinum, quum rei veritati repugnet; nec omnino adprobat ipſum rejicientem aliam Ariſtotelis imaginem pileo barbaque ornatam apud Urſinum, veluti alicujus impoſtoris figmentum; cum tamen ipſe Urſinus eam adlatam Neapoli in Urbem afferat a Cardinali Bellayo, probatamque fuiſſe teſtetur a Viris rei antiquariæ peritis, ac potiſſimum ab Hieronymo Garimberto, cui multum tribuit Urſinus. Hiſce tamen rationibus, ac nomine inſuper inſcripto ſatis probari nequit, eam Stagyritæ ſimilem certo eſſe.

AGATHO. IX.

Poëtæ duo, alter comicus, tragicus alter, hoc nomine appellati fuere: quis autem eorum hac προτομῇ repræſentetur, incertum. Ambo Platonis ætate vixerunt, ut tradit Suidas (9); licet tragicus, teſte Voſſio, aliquanto ſit antiquior (10). De Agathone loquitur Ariſtophanes (11) in Ranis, & ejus Græcus Scholiaſtes tragicum eum appellat; immo ab ipſomet Ariſtophane alibi (12) aperte τραγῳδοποιὸς appellatur. Comicus Socratem habuit magiſtrum, ut idem Scholiaſtes teſtatur (13). Ego autem hic potius repræſentari tragicum exiſtimarem, veluti celebriorem, qui etiam in una ex comœdiis Ariſtophanis inducitur inter actores, ubi Euripides ait (14):

Ἐνταῦθ' Ἀγάθων ὁ κλεινὸς οἰκῶν τυγχάνει ὁ τραγῳδοποιός.

Hic habitat Agatho inluſtris tragicus: cui Mneſilocus ironice reſpondet:

Ἔστιν τις Ἀγάθων; μῶν ὁ μέλας ὁ καρτερός;

Eſt ne quidam Agatho? Numquid eſt ille niger, & fortis?

poſtremis hiſce verbis innuere volens, pallidum gracilemque illum fuiſſe. Jacobus Perizonius (15) in Ælianum, eumdem tragicum, comicumque fuiſſe tradit, innixus fortaſſe auctoritati Philoſtrati, qui ait (16): Ἀγάθων δὲ ὁ τραγῳδίας ποιητὴς, ὃν ἡ κωμῳδία σοφόν τε καὶ καλλιεπῆ οἶδε: *Agatho tragicus Poeta, quem ſapientem elegantemque comœdia agnovit*. Voſſius (17) tamen duos eos fuiſſe putat. Sed diſsimulandum non eſt, dubitari etiam poſſe, an Agathonis nomen huic προτομῇ inſcriptum antiquum ſit; quum tantummodo litteras AGA in antiquo marmore expreſſas eſſe deprehenderimus, reliquas in novo, quod Herma ſit reſtauratus. Præterea fidendum illis nequaquam eſſe ex eo quoque ſuadetur, quod ſcriptæ ſint characteribus Latinis, cum Græcus ſculptor fuerit, ſicut & ille, quem voluit repræſentare. Præter autem duos Agathones Poetas, fuit Agatho Samius hiſtoricus, cujus meminit Plutarchus (18), & alter quoque philoſophus Pithagoricus, de quo loquitur Ælianus (19); & quidam

(1) Ælian. Variar. Hiſt. libr. 3. cap. 19.
(2) Laërt. libr. 5. in princ.
(3) Muſon. De rebus Vener. apud Stobæum ſerm. 6. pag. 83. edit. Lugdun. 1608.
(4) Laërt. loc. cit.
(5) Idem libr. 5. ſegm. 51.
(6) Idem libr. 5. in princ. Ælian. Var. Hiſt. libr. 3. cap. 19.
(7) Sidon. Apoll. libr. 9. epiſt. 9.
(8) Gron. Antiqu. Græc. vol. 2. n. 90
(9) Suid. in verb. Ἀγάθων.
(10) Voſs. De Poët. Græc. c. 7.
(11) Ariſtoph. in Ran. ver. 84. & Schol. ibi.
(12) Idem Teſmoph. verſ. 28. pag. 516. verſ. 10. pag. 517.
(13) Scholiaſt. Ariſt. ibi.
(14) Ariſtoph. Teſmoph. v. 30.
(15) Perizon. Not. in Æl. Var. Hiſt. libr. 13. cap. 4.
(16) Philoſtr. Vit. Sophiſ. libr. 1. cap. 9. n. 1.
(17) Voſs. loc. cit.
(18) Plutarch. Parall. pag. 315.
(19) Ælian. Var. Hiſt. loc. cit.

dam etiam Agatho Athenienſis eo tantum notus, quod magno robore, & ſtatura fuerit juſto majore. Alius quoque fuit fidicen ab eodem Plutarcho laudatus, ubi *de divitiarum cupiditate agit*; & adhuc unus, qui ſympoſium inſtar Platonis elucubravit, cujus item initio ſympoſii ſui meminit Plutarchus.

POSIDONIUS. X.

INter Cardinalis Farneſii marmora erat προτομὴ inſcripta nomine ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ in veſte inciſo, ut ex Fabro, & Bellorio intelligimus, quæ adhuc in ædibus Farneſianis reperitur; & licet facies in illa ſeniorem hominem repræſentet, aſpectus tamen ſimillimus eſt capiti, quod hic exhibemus. Duo Poſidonii fuere philoſophi e Stoicorum ſecta percelebres, & amborum meminit Laërtius (1): Poſidonius Alexandrinus alter, alter Apamenus, qui communi nomine Rhodius dicebatur (2), quod in inſula Rhodo docuerit, & publica munera obiverit. In ejus autem auditorum numero fuit etiam Cicero (3). Porro Suidas duos hoſce Poſidonios male in unum confundit. Hujus vero inſignis Oratoris προτομὴν exhibet etiam Gronovius (4), de eoque multa differit, quare omnino eſt conſulendus.

EPICURUS. XI.

EPicuri imago veteribus erat uſitatiſsima. *Vultus Epicuri*, ait Plinius (5), *per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum*: & Cicero (6) ante eum ſcripſerat, illius diſcipulos eam habuiſſe non in tabulis tantum, ſed in cyathis etiam, & annulis. Inſignis hujuſce Philoſophi veram προτομὴν nec Urſino, nec Fabro, nec Bellorio reperire uſquam contigit. Ejus itaque imaginem ex Muſeo Lovanienſi Cl. Viri Henrici Puteani erutam omnium primus Petrus Gaſſendus doctiſsimus illius doctrinæ illuſtrator publice exhibere putavit. Gabriel tamen Naudeus in ædibus Ludoviſianis Romæ adſervatam fuiſſe Epicuri ſtatuam adfirmavit. Et Gronovius (7) ejuſdem imaginem *penes Gaſpurem Monconiſium Lierguium, Proprætorem Lugdunenſem* fuiſſe tradit; quamquam nobis tantummodo imaginis Puteanæ ectypum exhibeat, quæ etiam proſtat in vitis Diogenis Laë tii Amſtælodami anno CIↃIↃCXCVIII. editis. Hæc προτομὴ in noſtro Muſeo adſervata Epicuri nomen ſubſcriptum præfert; ſed cum litterarum forma dubium me feciſſet, utrum excuſum fuerit antiquitus, certior tandem factus ſum ab ipſomet, qui illud inſcribendum curavit, recenter fuiſſe additum ex conjectura utique minus felici. Pretioſiſſimam hanc philoſophorum ſeriem regnanti Summo Pontifici feliciter contigit augere, vera Epicuri imagine eruta ſuperiore anno CIↃIↃCCXLII., dum nova porticus S. Mariæ ad Præſepe extrueretur. Eſt autem illa in Herma cum bina facie, ut videtur in Tab. V. quam hic ideo rejecimus, quia reliquæ voluminis hujus tabulæ jam publici juris factæ erant, quando ille in Capitolium translatus eſt. Facies altera Epicurum, altera Metrodorum (8) principem ejus diſcipulum, eique cariſſimum repræſentat, cujus etiam filii teſtamento cavit Epicurus (9), ut ſuis hæredibus maxime curæ eſſent, & vigeſimum cujuſque menſis diem ad memoriam ſui, & illius celebrandam conſtituit (10). Profecto in theſauro Britannico nummus argenteus adſervatur, Athenis cuſus, capite calvo, & cornibus pro auribus, (11) quo opinatur Haym poſſe repræſentari Deum Pana, vel Socratem, licet eum magis convenire putet Epicuro, cornuque illud ſignificare, hunc Philoſophum, non ſecus ac Socratem, facie Sileno ſimilem fuiſſe. Præterea nos docet, carneolam cum ejuſdem Philoſophi effigie adſervari *penes Comitem de Halifax*. At ſane omnibus hiſce imaginibus præferendus eſt laudatus Herma, qui Romæ detectus eſt præſentibus multis, atque illico adlatus eſt ad BENEDICTUM XIV. Pontificem doctrinæ ingeniique laude vere Maximum, qui in ipſis ſuis ædibus eum oſtendit viris plane

(1) Laërt. libr. 7. ſegm. 38., & 39.
(2) Strab. libr. 14. pag. 655.
(3) Plutarch. in vita Cic. pag. 862. edit. Pariſ. 1624.
(4) Gron. Antiq. Græc. vol. 2. n. 6.
(5) Plin. libr. 35. cap. 2.
(6) Cic. De finib. libr. 5. in princ.
(7) Gron. Ant. Græc. vol. 2. n. 96.
(8) Laërt. libr. 10. ſegm. 22.
(9) Idem ſegm. 18.
(10) Haym Theſ. Britann. vol. 2. pag. 62.
(11) Boiſſard. part. 1. Tab. 123.

plane doctiſſimis, quibus commode licuit agnoſcere, nomen antiquitus ſculptum inibi fuiſſe, quique, quum jam fere adtritum vetuſtate eſſet (quod nomini Metrodori non contigit, cui deeſt tantum prima littera) omni falſitatis ſuſpicione carere merito exiſtimarunt. In hoc quidem Muſeo duo alia capita ſimilia huic, quod in præſenti Tab. II. exhibetur, adſervantur; verum quum nulla prorſus in iis reperiatur diſſimilitudo, unum tantummodo ære incidendum curavimus. Quædam apud Boiſſardum habetur ſtatua, quæ etiam apud Gronovium (1) exſtat, cum inſcriptione ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΕΦΕϹΙΟΥ; at huic nihil cum noſtra προτομῇ, ſtatimque adparet, eam non eſſe Metrodori Epicurei. Putant nonnulli, & quidem argumentis valde probabilibus, caput hic in Tabula XI. exhibitum fortaſſe eſſe Lyſiæ; alii diſſentiunt; at de ea re vide Tabb. LXIII, & LXIV.

HERACLITUS. XII. ET XIII.

IN marmore penes Magnum Etruriæ Ducem legitur inſcriptio ΗΡΑΚΛΙΤΟϹ ΒΛΥϹΩΝΟϹ ΕΦΕϹΙΟϹ, atque illud Urſini tempore ruri apud Cardinalem Mediceum prope Villam Juliam adſervabatur, namque ipſe illud profert, quamquam in ſui Operis præfatione jam dixerat, caput ſuperadditum eſſe ex alia προτομῇ, licet inſcriptio eſſet antiqua. Plures fuerunt Heracliti; at Epheſinus (2) omnium celeberrimus, qui circa Olympiadem LXIX. adeo floruit, ut ſectæ Heracliteorum nomen dederit. Multa ſane ſcripſit, obſcuritatem tamen adfectans; ideoque a Lucretio (3) appellatur *clarus ob obſcuram linguam.* In noſtro marmore vultum quidem tetricum habere videtur, quod plane ejus doctrinæ obſcuritatem, æque ac ipſius triſtitiam ſignificabat: fertur enim luxiſſe jugiter, humanarum rerum miſeriam conſiderans, ut de eo teſtantur Lucianus (4), & Juvenalis (5). Maffejus (6) poſt Auguſtinium gemmam cælatam refert, in cujus altera facie Heraclitus habetur, in altera vero Democritus. Bellorius (7) etiam hanc gemmam exhibet; at hujus Heraclitus eſt Democritus illius, & viciſſim illius Democritus eſt hujus Heraclitus. Cenſet Gronovius (8), Bellorium erraſſe, quia ſcipio, atque ætas decrepita, dorſumque ſatis incurvum Democrito potius convenire videntur, qui centum annos, & amplius vixit, quam Heraclito, qui fere ſexagenarius obiit. Sidonius Apollinaris (9) Heraclitum pingi ſolitum fuiſſe adfirmat oculis clauſis ob fletum, Democritum vero labiis apertis inſtar ridentis: *Heraclitus fletu oculis clauſis; Democritus riſu labiis apertis.* Ex quo videretur, certo adſtrui non poſſe hanc eſſe veram Heracliti imaginem, niſi ſciremus, Heraclitum etiam oculis apertis effictum aliquando fuiſſe, ut videre eſt in Theſauro (10) Brandemburgico, & in (11) Muſeo Ebermayeri. Ceterum huic noſtro marmori aptiſſime conveniunt, quæ Begerus de capite Heracliti ab eo in lucem prodito ſcribit: *Caput vides admirando ſculptoris artificio elaboratum. Non tam vultum refert, quam animum, acerbo miſeriarum dolore ſubactiſſimum. En contracta in luctum ſupercilia: en abditos in lacrymas oculos: en marcentes doloribus genas. Quid barbam memorem & prolixa, & inculta levitate venerabilem?*

SOCRATES. XIV. ET XV.

TRes Hermas bibliothecæ Fulvii Urſini unica tabula exhibet Bellorius (12), in quibus putat Socratem repræſentari, in quorum uno nomen ϹΟΚΡΑΤΗϹ inſcriptum eſt. Duo ex his potiſſimum huic noſtro plane ſunt ſimiles. Hic Philoſophus quam pulcher animo, tam facie deformis fuit; quamobrem ipſemet ſuis uxoribus dicere ſolebat (13), ſe haud dignum eſſe, ut ſui cauſſa inter ſe jurgarentur. Plato (14), & Xeno-

(1) Gron. Ant. Græc. vol. 13. bb.
(2) Diog. Laërt. libr. 9. in princ.
(3) Lucr. libr. 1. v. 640.
(4) Lucian. Vitar. Auction.
(5) Juven. Sat. 10. v. 28.
(6) Maff. in gem. antiq. par. 1. n. 55.
(7) Bell. imag. Ill. Vir. part. 1. n. 18.
(8) Gron. Ant. Græc. vol. 2. n. 56.
(9) Sidon. Apoll. libr. 9. epiſt. 9.
(10) Beg. Theſ. Brand. Vol. 1.
(11) Capit. Pen. Ebermayer. n. cccxxxiii.
(12) Bellor. Imag. Viror. Illuſtr. par. 1. n. 34.
(13) S. Hieron. adverſus Jovin. circa finem.
(14) Plat. in Teet.

nophon (1) eum Sileno ſimilem fuiſſe ajunt, idque confirmat Syneſius in laudibus calvitiei. Caſſiodorus autem (2) eum appellat *calvum*, *ventroſum*, *ſimum*; quod etiam ante ipſum dixerant Galenus, & Lucianus. Alia hujuſce rei teſtimonia proferuntur ſub ejus imagine in hujus libri Tab. 14. Hic vero addere juvat, Ariſtophanem illius inimicum ſæpius in ſcenam induxiſſe comicos imagine Socratis perſonatos, quod fecit etiam Eupolis, ut eum ridiculum apud alios redderet; atque hinc originem habuiſſe creduntur quamplurimæ larvæ ejus faciem repræſentantes a Chiffletio, Begero, & Ficoronio (3) in lucem editæ. Socratis imago reperitur etiam in Baſilidianorum hæreticorum gemmis. Porro Sidonius Apollinaris (4) narrans quomodo in gymnaſiis dignoſci ſolerent philoſophi, canitie tantummodo Socratem diſtinguit: *Socrates coma candente*. At Xenophon eum fuiſſe tradit (5) oculis ſtrabis, grandibus, emiſſitiis, & intuentibus ἐκ πλαγίου διὰ τὸ ἐπιπόλαιοι εἶναι, naſum habuiſſe naribus expanſis ἀναπέπταυται, & ſimum τὸ δὲ σιμὸν τῆς ῥινός. Tribus Hermis ſupradictis Urſinus addit (6) anaglypton, quod Socratem repræſentat ſedentem abſque tunica, pallio tectum inferne ab umbilico, cetera nudum; Xenophon autem (7) teſtatur, eum humeros tantum nudos geſtare ſolitum. Aperit volumen, ut ſolebat colloquens cum Clitobulo, ut idem auctor narrat. Gronovius (8) vero addit inſuper quatuor hujuſce philoſophi imagines ex Caninio (9), Gallæo, & Gevartio deſumptas, & ex Fulvii Urſini carneola, in qua Platonis etiam erat imago. Hæc προτομὴ ab eodem Urſino (10) adlata ſervabatur, & adhuc adſervatur in Ædibus Vaticanis; altera vero, quæ illic adfertur num. XXXII. abſque nomine erat olim penes Cardinalem Ceſium, & facile eadem eſt, quæ in hac tabula repræſentatur, ſive alia ex iis, quæ in noſtro Muſeo Capitolino reperiuntur. Alia autem Socratis capita, omnino inter ſe ſimilia, videri poſſunt apud Cauſeum (11), & in Muſeo Florentino (12); quæ quidem omnium concordia in hoc effingendo Philoſopho, præter rationes, & auctoritates adlatas, de vera ejuſdem imagine certiores nos faciunt, quæ facile haberi genuina potuit, quoniam Athenis diu ſtetit ipſius ſimulacrum, ut refert Laërtius (13), a Lyſippo ex ære conflatum, non vero ex auro, ut in Tertulliano legitur (14). Lucianus in morte Peregrini meminit cujuſdam picturæ, quæ Socratem in vinculis cum diſcipulis repræſentabat. Præterea faciem Socratis poſſumus videre apud Gorlæum, & Begerum, & maxime apud Chiffletium, qui de vultu Socratis multa, & luculenter diſſeruit.

ALCIBIADES. XVI.

HUic Hermæ nomen Alcibiadis tribuimus ex ſententia quorumdam celebrium Antiquitatis peritorum, qui eum diligenter ſcrutati ſunt. Pulcherrimus ille erat facie, & amabiliſſimus, ut tradit Ælianus (15), ſpiſſaque barba totum ei circumdabat mentum, uti conſpicitur in hoc capite, appellatuſque eſt a Platone (16) pulcher, & πρώγωνος ὑποπιμπλάμενος. Valerius quoque Maximus (17) teſtatur, illum fuiſſe forma præſtantiſſima. At conſulendus eſt potiſſimum Plutarchus (18), qui adfirmat, de Alcibiadis pulchritudine ſuperfluum eſſe fortaſſe dicere, niſi quod puer, adoleſcens, vir in omni ætate, & tempore florens corpore, deſiderabilis, & jucundus apparuit. Attici ejus imaginem adſervabant (19) a Polygnoto depictam; & Romani (20) ejus ſtatuam in Comitio, & Curia Octavia inſtar Cupidinis ob ejus pulchritudinem habuere. Fulvius Urſinus (21) Hermam exhibet nomine inſignitum, ſed truncum capite; Faber (22) autem gemmam, quæ ejuſdem Urſini erat, huic noſtro marmori non abſimilem. Profert etiam carneo-

(1) Xen. in Conviv. pag. 883. edit. Pariſ. 1625.
(2) Caſſiod. in Pſal. 72.
(3) Jo. Chifflet. *Socrates*, ſive de gemmis ejus imag. Beg. Theſ. Bran. T. 3. p. 321. Ficoron. De Larvis cap. 20.
(4) Sidon. Apoll. lib. 9. ep. 9.
(5) Xenophon. in Conv. pag. 891.
(6) Ful. Urſin. par. 2. n. 50.
(7) Xenoph. loc. cit. pag. 884.
(8) Gron. Ant. Græc. vol. 2. n. 65.
(9) Canin. Iconogr. n. 45.
(10) Fulv. Urſin. par. 1. n. 6.
(11) Cauſ. Gemm. Ant. n. 26.
(12) Muſ. Flor. tom. 1. tab. 41.
(13) Diog. Laërt. libr. 2. ſeg. 43.
(14) Tertull. in Apologet. n. 14.
(15) Æl. Var. Hiſt. lib. 12. cap. 14.
(16) Plat. in princ. Protag.
(17) Valer. Max. libr. 6. cap. 9.
(18) Plutarch. in Alcib. vita in princ.
(19) Pauſ. in Att. pag. 52.
(20) Plin. libr. 34. cap. 6. & libr. 36. c. 5. n. 8.
(21) Fulv. Urſ. part. 2.
(22) Fabr. Imag. illuſt. Viror. n. 4.

neolam Cardinalis Bembi, quæ cum illa conveniebat, quæ apud Urſinum erat; & præterea ſtatuam Socratis Alcibiadem amplectentis, quæ penes Angelum Coloccium Nucerinum Epiſcopum, celebrem ætatis ſuæ virum, & eruditione clarum, adſervabatur, de qua etiam mentionem faciebat Andreas Fulvius Vir ſane rei antiquariæ peritus, Fabroque coævus, ut in vita ejuſdem Coloccii (1) habetur. Hæc autem ſtatua duabus illis carneolis omnino erat ſimilis. Cælatus quoque fuit (2) a Nicerate, teſte Plinio, in eoque effingendo ſimilitudinem fuiſſe ſervatam tradit Arnobius (3) his verbis: *Quis eſt enim, qui ignoret, Athenienſes illos* HERMAS ALCIBIADIS *ad corporis ſimilitudinem fabricatos?* Cum igitur uſitatum adeo eſſet, celeberrimum hunc Athenienſem excudere, notiſſima idcirco erat illius imago, quam veriſimile eſt ad noſtra fere tempora perveniſſe. Hic autem adnotare non prætermittam, P. Montfoconium (4) teſtari, ſe hic in Capitolio vidiſſe Alcibiadis caput, aliaque plura nomine inſignita capita: *In conclavibus capita marmorea, Socratis, Platonis,* ALCIBIADIS, *Hieronis, Sapphus, Ariadnæ, ſingula nominibus inſcripta ſuis*; at ex iis profecto deſunt capita Socratis, Ariadnæ, & Alcibiadis: Socratis enim, & Alcibiadis προτομαὶ huc a Clemente XII. P. M. fel. rec. inlatæ ſunt.

CARNEADES. XVII.

TRadit Urſinus (5) hujuſce Philoſophi Hermam, cujus ectypum exhibuit, fuiſſe apud Card. Mediceum ruri adſervatum prope Vineam Papæ Julii; ejus tamen caput eſſe alterius προτομῆς. Exſtat nunc in Muſeo Mediceo Carneadis caput huic noſtro non abſimile. Bellorius (6) vero aliam προτομὴν refert, quæ penes Card. Farneſium erat, & Carneadem repræſentabat, ut teſtabatur nomen ΚΑΡΝΕΑΔΗϹ pallio inciſum; quæ quidem eadem omnino eſt, quæ nunc in ædibus Farneſianis reperitur, quæque in veſte capiti conjuncta inſcriptum præfert ΚΑΡΝΕΑΔ, atque eſt ectypo Belloriano ſimillima. In illa Carneades apparebat ætate gravis, ut in hac etiam, quæ hic exhibetur. Et revera eum diutius vixiſſe novimus, nonaginta ſcilicet annos, teſte Cicerone (7), & Valerio Maximo (8), aut ſaltem octoginta quinque, ſi fides potius habenda Apollodori Chronico apud Laërtium (9). Celeberrimus ſane Carneades filius fuit Philocomi Cyrenæi; unde in Herma, quem laudatus exhibet Bellorius, legitur ΚΑΡΝΕΑΔΗϹ ΦΙΛΟΚΩΜΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟϹ. Porro teſtatur Cicero (10), hujus philoſophi imaginem Athenis inter reliquorum inluſtrium virorum imagines conlocatam fuiſſe: *Etſi multa in omni parte Athenarum ſunt in ipſis locis indicia ſummorum virorum, tamen ego illa moveor exedra; modo enim fuit* CARNEADES, *quem videre videor, eſt enim nota imago, a ſedeque ipſa tanta ingenii magnitudine orbata, deſiderari illam vocem puto.* Laërtius (11) tamen ait, eum incultum fuiſſe, & inlepidum, multoque ſtudio abſtractum; quæ omnia formæ hujus Hermæ adprime reſpondent; quamquam id contra intellexit Faber (12), qui ait: *Carneadem refert Laertius elegantiæ, & ornatus perſtudioſum fuiſſe, comam aluiſſe, & crines componere diligenter ſolitum.* At fortaſſe deceptus aliqua Latina verſione fuit, vel memoriter hæc ſcripſit.

ARISTIDES. XVIII.

HIc eſſe videtur Ælius Ariſtides Græcus ſophiſta, iſque eloquentiſſimus, qui Romæ celebris fuit Antoninorum ætate, namque hoc caput ſimile eſt veteri ſtatuæ in ruderibus Romanis inventæ, ac deinde a Pio IV. in bibliotheca Vaticana conlocatæ (13), ubi illa adhuc conſpicitur. Eam autem eſſe Ariſtidis ex nomine colligitur baſi inſcripto ΑΡΙϹΤΙΔΗϹ ϹΜΙΡΝΕΟϹ, ſi tamen illud vere antiquum cenſendum ſit. Bello-

(1) Vita Coloccii pag. 26.
(2) Plin. libr. 34. cap. 8.
(3) Arnob. libr. 6.
(4) Montf. Diar. Ital. cap. 13. pag. 171.
(5) Urſin. Imag. Viror. illuſt. p. 1 n. 14.
(6) Bellor. Illuſtr. Vir. imag. p. 1. n. 10. & Urſin. par. 2. n. 66.
(7) Cic. Acad. Quæſt. libr. 2. circa initium.
(8) Val. Max. libr. 8. cap. 7. Ext. n. 5.
(9) Laërt. libr. 4. ſegm. 65.
(10) Cic. De fin. libr. 5. in princ.
(11) Laërt. libr. 4. ſegm. 64.
(12) Fabr. Comm. in imag. illuſt. Vir. n. 42.
(13) Gron. Ant. Græc. vol. 3. iiii.

lorius quoque (1) eam refert, ſemperque habita eſt inter pulcherrima Antiquitatis monumenta. Unus Samuel Jebb conatus eſt in dubium revocare ipſius ſinceritatem, & vetuſtatem ſaltem aliqua ex parte, ut habetur in vita Ariſtidis ejus operibus præfixa, ab eoque Oxonii edita. Præcipua ejus dubii fundamenta hæc ſunt: forma litterarum, quibus ſcriptum eſt ΑΡΙϹΤΙΔΗϹ ϹΜΥΡΝΕΟϹ: dein ratio, qua hoc nomen exprimitur: denique quod fere omnibus antiquis ſtatuis detractum fuerit caput a barbaris. Verum nonnullis quidem illud accidit infortunii, ſed non univerſis. Obſervandum inſuper eſt, hoc multis accidiſſe, non quod a barbaris data opera capita illis abſciſſa fuerint, ſed tantum quod vetuſtate collapſæ ſint; atque idcirco in antiquis ruderibus ſolent perſæpe non longe a προτομαῖς capita etiam reperiri, quæ utrum illarum ſint, colligitur non ſolum a propinquitate loci, ubi poſitæ erant, ſed & quod apte jungantur, & proportio inter caput, & pectus intercedat. Quod autem ad formam adtinet litterarum, difficili negotio probabit Jebb, eam Antoninorum ævo non convenire. Difficultas ergo ſita eſt in nomine patriæ; quum Ariſtides non Smyrnaeus fuerit, ſed Adrianopolita, quæ civitas eſt Myſiæ ad radices Olympi montis occidentales. At conſtat illum, quum in cauſſa fuerit, cur Imp. Marcus Aurelius Antoninus Smirnam majori ex parte terræ motibus dirutam reſtauraret, a Smyrnaeis civitate, atque ærea ſtatua fuiſſe donatum; unde poſtea Smyrnaeus & ipſe forte vocatus eſt. Præterea in Anthologiae (2) epigrammate legitur, ipſum Smyrnaeum fuiſſe æque ac Homerum. At ſuperfluum eſt, Jebb a nobis refutari, quum audeat monumentum traducere, quod neque vidit umquam, neque ejus novit materiam; ſtatuam enim Vaticanam æream eſſe putat, quæ tamen marmorea revera eſt. Addam hic tantummodo, in ædibus Farneſianis προτομὴν adſervari Vaticanæ ſtatuæ ſimillimam.

HIPPOCRATES, XIX.

Johannes Faber (3), & Bellorius (4) afferunt nummum cuſum, ut putant, a Cois, in quo exprimitur imago Hippocratis cum epigraphe ΙΠΠΟΚΡΑΤΗϹ. Huic imagini ſimilis eſt hujus tabulæ icon. Faber (5) adnotat, penes Fulvium Urſinum dominum dicti nummi fuiſſe etiam carneolam, ubi ſculptus erat Hippocrates palliatus. Ego vero non prætermittam ex veteri hiſtoria plures nos habere hujus nominis viros, ac Jonſius (6) viginti circiter fuiſſe adfirmat. Nihilominus tamen quum in parte poſtica recenſiti nummi conſpiciatur ſerpens circumvinciens Aeſculapii virgam, quod erat ſtemma Coorum, ad medicum Hippocratem jure pertinere debet; civis quippe Cous fuit. Apud Soranum, & Svidam legitur conſueviſſe ipſum repræſentari in ſtatuis capite tecto, aut cum pileo in nobilitatis argumentum, velut Ulyſſes, aut cum pallio (7), quod calvus, atque æger fuerit. Alii verò affirmabant (8) id factum aliis de cauſis. Hoc enim ex nonnullorum ſententia ejus ſignificabat peregrinationes; alii autem obſcuritati ſuorum librorum, alii vero neceſſitati defendendi caput præcipuam animæ ſedem hoc tribuebant; alii dicebant ea re denotari, nobis, licet ſanis, cavendum eſſe a noxiis rebus: alii denique contendebant ſignificari Hippocratem, ut expeditiori manu uteretur ad ægrotos curandos, rejeciſſe in caput pallium. At fortaſse verior cauſa eſt calvities, quæ antiquitus turpis apud omnes habita fuit. Et revera Hippocrates calvus erat, & ita exprimitur in nummo Fulvii Urſini, & in noſtra προτομῇ. Veteres huic medicorum Principi omne honoris genus habuerunt, excudentes in ære ejus imaginem, ut colligi poteſt ex Luciano (9), ipſique quotannis ſacra faciebant. His omnibus adjicienda ſunt, quæ Gronovius adnotat his verbis (10): *Apud Thevetum exponitur alia imago ex numiſmate Græco, ut prætexunt, Conſtantinopoli reperto, quæ editioni Lugduno-Batuvæ præfixa eſt.* Videnda eſt etiam hujus doctiſſimi omnium medicorum effigies apud Danielem Clericum in fronte libri de Medicinæ hiſtoria, & in fronte pariter magni ſui Hippocratis Proſper Marcianus eam adpoſuit, quæ tamen non ſunt huic noſtræ comparandæ.

SE-

(1) Bell. Vir. Illuſt. par. 3. tab. 72.
(2) Anthol. libr. 4. ſub finem.
(3) Fabr. Comm. Ill. Imag. n. 71.
(4) Bellor. Imag. Ill. Philoſ. p. 1 n. 19.
(5) Fabr. Comment. in Imag. illuſ. n. 71.
(6) Jonſius Script. Hiſtor. Philoſ. libr. 1. cap. 2.
(7) Soran. vita Hippocratis.
(8) Suidas V. Ἱπποκράτης Κῶος, & Tzet. Chil. 8. Cap. CLV. v. 945.
(9) Lucian. in Philopſeud. Tom. II. pag. 341. edit. Amſtel. 1687.
(10) Gron. Ant. Græc. Vol. 2. n. 58.

SENECA. XX.

CAput Senecæ, in hoc Muſeo adſervatum, ſimile omnino eſt illi, quod in Muſeo Mediceo adhuc exſtat, ac etiam eleganti ſtatuæ e marmore nigro in Villa Burgheſia poſitæ, ſed præcipue προτομῇ omnium, quas hujus philoſophi umquam viderim, elegantiſſimæ, quæ habetur in ædibus Corſiniorum Romæ. Vultus adparet (1) *ad ſummam maciem deductus*, ut ipſemet de ſe loquens fatetur, quod *per longum tempus* AEGER fuerit, quamobrem quum Imperator C. Caligula illum (2) e medio tollere vellet, a quadam ſua pellice diſſuaſus fuit, teſte Dione, quod jamjam moriturus eſſet, adeo adverſa valetudine laborabat. Hæc omnia reſpondent iis, quæ Tacitus (3) de ipſo refert, nempe illi fuiſſe CORPUS *parvo victu* TENUATUM, & incomptum, ac rudem vultum, quod ipſe Seneca (4) in epiſtolis innuit; ſic enim Lucillo ſcribit: *Quod libros meos petis, non magis ideo diſertum me puto, quam* FORMOSUM, *ſi imaginem meam peteres*. Denique ex hac imagine Senecam Stoicum fuiſſe luculenter adparet, philoſophum ſcilicet munditiarum, & externarum rerum contemptorem, & rigidum, ſeverumque ſolius virtutis ſectatorem.

PLATO. XXI. ET XXII.

PLurima antiqua marmora nobis exhibent magnum Platona, cujus in hoc Muſeo decem Hermæ exſtant, licet duos tantummodo hic ponere viſum ſit ſatis. In ſingulis barba ornatur Plato, artificioſè infernè æquata, magnamque habet cæſariem; quinimmò inde orta fuit, ut Ælianus (5) ſcribit, contentio inter Platonem, & Ariſtotelem, qui contra illius morem barbam ſibi radere, capilloſque tondere conſueverat, quod alibi diximus. Notandum eſt in Tab. XXII. amplum illud pectus, quoniam ex hujus latitudine immutatum ei fuit vetus nomen Ariſtoclis, & Plato appellatus eſt, ut Seneca narrat (6). Neantes (7) verò adfirmat, hanc nominis commutationem ipſi factam fuiſſe ex latitudine frontis, alii autem putarunt, natam fuiſſe (8) ex ubere facundia. Laërtius tradit (9) Platonem fuiſſe appellatum, quia eximia erat corporis habitudine, quod pariter adfirmat Apulejus: (10) *Platonis habitudo corporis cognomentum dedit*. Haud mirandum, tot gemmas, & marmora ipſum repræſentare; ejus enim ſecta per multa ſecula frequentiſſima fuit, ipſeque tanti habitus eſt apud omnes nationes, ut *Divini* cognomentum acceperit. In Academia ejus ſtatua poſita fuit, opus Silanionis eximii ſculptoris (11); & Cicero (12) meminit ſtatuæ, quam habebat in ſua villa. Inſcriptio ΠΛΑΤΩΝΗΣ ΑΡΙΣΤΟΝΟΥ ΑΘΙΝΑΙΟΣ, quam conſpicimus in προτομῇ Tab. XXII., quæ jamdiù ſervabatur in Capitolio, confirmaret Platonem natum eſſe Athenis, ſuumque patrem appellatum Ariſtonem, ut adfirmat Laërtius. At quum hæc inſcriptio mendoſa ſit, apertè oſtendit, haud eſſe antiquam, deberet enim legi ΠΛΑΤΩΝ ΑΡΙΤΩΝΟC ΑΘΗΝΑΙΟC, uti legitur in Herma trunco, quem habebat in ſua bibliotheca Urſinus. Quamobrem ſuſpicor, hæc capita cum capillis, & barba aptè adeo compoſita, & ferè artificio quodam calamiſtrata, & cum diademate, ut videre eſt in Tab. XXII., multaque alia, quæ ſunt hic, & alibi, non eſſe Platonis, ſed Jovis Terminalis.

Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,

cecinit Prudentius (13), & Arnobio (14) Juppiter appellatur *Ricinatus*, *atque barbatus*; quod comprobatur duobus Hermis hujus noſtri Muſei, appoſitis hic inter has noſtras Animadverſiones Tab. VI. num. 2., & 3., quorum primus in altera parte habet caput ſimile.

(1) Senec. Conſol. ad Elv. cap. 17. & Epiſt. 54. & 78.
(2) Dion. libr. 59. p. 655.
(3) Tacit. Annal. libr. 15. circa fin.
(4) Senec. Epiſt. ibid.
(5) Ælian. Var. Hiſtor. libr. 3. cap. 19.
(6) Senec. Epiſt. 58.
(7) Apud Diog. Laërt. libr. 3. ſegm. 4.
(8) Suidas in Πλάτων.
(9) Laërt. ibi.
(10) Apul. de habit. doctr. Plat. in princip.
(11) Laërt. libr. 3. Segm. 25.
(12) Cic. in Brut. cap. 6.
(13) Prudent. περὶ στφ: x. v. 272.
(14) Arnob. libr. 6. circa finem.

mile his, quæ Platonem exiſtimantur repræſentare, in altera muliebre, quæ probabiliter Junonem refert; alter Herma habet duo capita perfectè inter ſe ſimilia, quare unam tantum ejus faciem delineavimus. Creditur verum hujus Philoſophi ſimulacrum eſſe illud, quod eſt apud Bellorium (1) expreſſum ex προτομῇ Fulvii Urſini (2), qui etiam gemmam habebat ſuo marmori ſimiliorem, quam his noſtris. Sponius (3) meminit nummi Auguſti, qui in parte poſtica faciem habebat hujus philoſophi nomine inſignitam, & Patinus edidit diſſertationem (4) de hoc nummo, quem adfirmat eſſe *indubitatæ antiquitatis*. Caninius (5) typis edidit gemmam, quæ erat Marchionis Taſſi, in qua caput pariter ſimile eſt primo marmori Belloriano, licet in illo ſenior repræſentetur. Hanc gemmam puto eamdem, ac illa, quæ eſt in Muſeo Romano (6). Begerus refert προτομὴν, quæ revera videtur Jovem referre, & omninò ſimilis eſt adlatæ hic in Tab. XXII. facie profectò gravi, ſed placida, & tranquilla; Plato autem erat vultu truci, & triſti, quamobrem Comicus quidam (7) ad eum inridendum dixit:

Ὦ Πλάτων

Ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον,
Ὥσπερ κοχλίας σεμνῶν ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς.

O *Plato*

Sicuti nihil noſti, quam tetricum tantummodo eſſe,
Veluti cocleam graviter contrahentem ſupercilium:

Quæ res convenit primo marmori Belloriano. Veronæ in Muſeo Moſcardo teſtatur Montfoconius (8), ſe pariter vidiſſe imaginem Platonis marmoream, Gronoviuſque Vol. 2. n. 83. earum quatuor adfert, at omninò diſſimiles, & etiam ipſe in dubio pendens dicit: *Sane illud tale ſyrma capillorum per cervicem tàm longè dependentium, dubito, an habuerit Plato*. Gronovii ſententiam plane confirmat inſignis Herma mirifice ultra quam dici poſsit ſculptus, & ingentis magnitudinis, in villa Tiburtina Hadriani effoſſus, qui dum hæc typis mandantur, BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus in noſtrum Muſeum invexit. Cur capitibus, quæ ſimilia ſunt hiſce noſtri Muſei, tributum fuerit nomen Platonis, originem duxiſſe videtur, ex illa carneola, quam ex Græcia adtulit Cardinalis Julianus Cæſarinus Legatus ad Concilium Florentinum, cui fortaſſe vendita fuit pro Platonis effigie, ut pretioſior redderetur, aut ex alia ſimili gemma Cardinalis Proſperi Sanctacrucii, in qua pariter cælata erat imago Socratis ejus præceptoris. Cum autem hæ gemmæ nomine carerent, ignoratur, qua ratione dici potuerit, eas Platonem repræſentaſſe.

JUNIUS RUSTICUS. XXIII.

Convenit hæc imago cum marmore Bibliothecæ Fulvii Urſini relato a Bellorio, in quo hæc eſt inſcriptio:

L. IVNII. RVSTICI
PHILOSOPHI
STOICI
L. IVNIVS L. L.
MYRINVS P. P.

At obſervandum de duobus Juniis Ruſticis philoſophis Stoicis mentionem fieri ab hiſtoricis. Comperimus ex Julio Capitolino (9), Imperatorem Marcum Aurelium altero ipſorum uſum eſſe præceptore, multiſque eum honoribus cumulaſſe, ut etiam Præfectum Urbis conſtituerit. Inſuper in quadam lege (10) idem Imperator eum appellat Amicum; & in ſua vita (11) Diis gratias agit, quod etſi in illum ſæpe diſputando vehementius exarſiſſet, numquam tamen quid pœnitendum, aut dixiſſe, aut feciſſe. Alter Junius Ruſticus, qui Stoicæ familiæ nomen dederat, celebrior quoque eſt, ejuſque meminit Svetonius (12) in vita Domitiani, eum recenſens inter illuſtres viros leviſſimas ob cauſas ab

(1) Bell. Imag. Ill. Viror. p. I. n. 27.
(2) Fulv. Urſin. p II. n. 52. Imag. Illuſ. Viror.
(3) Spon. Miſcell. ſect. 4. pag. 140. edit. Lugd. 1685.
(4) Patin. Antiq. Græc. Gron. T. IX. pag. 1593.
(5) Canin. Icon. n. 48.
(6) Muſ. Rom. Cauſ. n. 17.
(7) Amicrat. apud Laërt. libr. 3. ſegm. 27.
(8) Montf. Diar. Ital. cap. 28. pag. 439.
(9) Jul. Capitol. cap. 3. in M. Anton. Philoſoph.
(10) Lib. 1. §. 2. ff. de Appellat.
(11) M. Anton. in ſua vita libr. 1. §. 18. pag. 27. edit. Lug. 1626. in 12.
(12) Svet. cap. 10. in vit. Domit.

ab hoc crudeli Imperatore morti mulctatos. Cauſa necis fuit: *Quod Pæti Thraſeæ, & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos ſanctiſſimos Viros*, ut verbis Svetonii utar. Eodem modo loquitur Tacitus (1): *Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Helvidius laudati eſſent, capitale fuiſſe*. (2) Ac paulo infra ſubdit: *Nos Maurici, Ruſticique viſus, nos innocenti ſanguine Senecio perfundit*, vel uti corrigit Acidalius: *Nos Maurici, Ruſticique vidimus caſus, nos &c.* Xiphilinus (3) duabus de cauſis dicit, Ruſticum a Domitiano morti datum fuiſſe; quod *Sacrum* appellaverit Thraſeam, & quod philoſophiæ deditus fuerit. Plutarchus autem (4) haſce reticens emendicatas rationes, veram tantummodo refert, invidiam nempe ſuæ gloriæ; & addit Ruſticum adeo gravem fuiſſe, ut reddita ſibi a milite quadam Cæſaris epiſtola præſente Plutarcho, noluerit eam reſignare, ſed ſermonem prius abſolvere, quamquam Plutarchus ad illam legendam eum ſtimularet.

Quod autem Ruſticus hic ſectæ Stoicorum addictus fuerit, dubitandi locum (5) non relinquit Plinius Junior, qui ſcribens Voconio, narrat, quod quidam Marcus Regulus Cauſidicus: *Ruſtici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte, adeo ut librum recitaret, publicaretque, in quo Ruſticum inſectatur, atque etiam Stoicorum ſimiam appellat*. Ruſticus jam inde ab adoleſcentia fuit vir magnæ virtutis, cumque Tribunatum plebis gereret, quando Nero S. C. edidit adverſus Thraſeam (6), ipſe ſe obtulit interceſſurum. Vitellio imperante Prætor fuit, atque unus Legatorum exercitus Veſpaſiani, at infelici exitu, nam vulneratus fuit magna percuſſorum infamia non ſolum ob perſonam, quam tum gerebat, ſed etiam ob propria merita (7). *Duxit invidiam*, ait Tacitus, *ſuper violatum Legati, Prætoriſque nomen propria dignatio viri*.

THEOPHRASTUS. XXIV.

FAber (8), & Bellorius (9) referunt marmor, quod etiam paucis ab hinc annis erat penes Marchionem de Maximis, in quo ſcriptum ΘΕΟΦΡΑСΤΟС ΜΕΛΑΝΤΑ ΕΡΕСΙΟС. At valde differt imago hujus philoſophi, quæ eſt apud Fabrum, ab ea, quæ videtur in collectionibus (10) Urſini, & Bellorii ipſius, qui ſuis typis magis ſimilitudinem marmoris ſunt aſſequuti, & neſcio cur Gallæus, qui eam Fabro aere incidit, ab illa receſſerit, licet Gronovius (11) adfirmet, eum id egiſſe, ut imitaretur imaginem, quæ erat penes Achillem Statium. *Hæc ejus imago ob capilli, & barbæ tonſuram perquam ſimilis eſt Ariſtotelis imagini ejus magiſtri*, ſcribit Faber (12). Ut verum fatear, non video hanc exactam ſimilitudinem, imò potius nullam. Quod non amplius exſtet hæc προτομὴ penes Dominos de Maximis, poteſt adferri ratio laudati Achillis (13) verbis: *Illud iterum mihi monendus es, Lector optime, ut cum tibi forte collibitum fuerit adire ad ea loca, in quibus eſſe hæc ſigna tamquam digito demonſtravimus, nec ea tamen apparebunt; ne qua propterea ſit admiratio, neve tibi nos dediſſe verba exiſtimes. Hæc ſunt enim rerum humanarum vices, ut ab aliis ad alios facile transferantur*. Et quidem (14) quæcumque res, ut veriſſime adfirmat Horatius,

Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema
Permutet dominos.

Hujus autem philoſophi vultum videre poſſumus inciſum etiam in achate inter gemmas Ebermayeri n. CCCLV.

CAPUT INCOGNITUM. XXV.

NUllus dubitet, quin hæc imago ſit Epicuri, ſi eam conferat cum ea, quam dedimus Tab. V. & inter noſtras Animadverſiones extra ordinem rejecimus. Hanc autem epigraphen CAPUT INCOGNITUM ære inciſam in calce Tabulæ hujus

(1) Corn. Tac. in vit. Agric. cap. 2.
(2) Idem ibid. cap. 45.
(3) Xiphilin. libr. 67.
(4) Plutar. *De Curioſitate* in fine.
(5) Plin. libr. 1. epiſt. 5.
(6) Tacit. libr. 6. Annal. cap. 26.
(7) Tac. Hiſt. libr. 3. cap. 8.
(8) Fabr. Comment. in Imag. Illuſ. n. 143.
(9) Bell. Imag. vir. ill. p. I. n. 38.
(10) Fulv. Urſ. n. 59. p. II.
(11) Fabr. Comment. in Imag. illuſ. vir. n. 143.
(12) Faber in Imag. Ill. Vir. &c. n. 143.
(13) Achill. Stat. in præfat. Illuſ. viror. Romæ 1569.
(14) Horat. libr. 2. epiſt. 2. v. 173.

jus adpoſuimus, quod nondum effoſſus erat verus Epicuri Herma, ut dicitur in iiſdem Animadverſionibus pag. 13. Nonnulli hunc Magonem reputarent, quia vultu ſimilis ſit illi προτομῇ, quam Tab. XXX. dabimus. Verum potius credendum eſt, utramque Epicurum referre.

M. AURELIUS ANTONINUS XXVI.

M. Aurelium Antoninum Imperatorem, cognomento Philoſophum, quam bene, & recte Critici, hoc cognomine ſecreverint a reliquis Antoninis, quod ſemper profeſſus fuerit philoſophiam, jam inde a duodecimo ætatis anno oſtenderunt ejus mores, & nunc demonſtrant ejus opera. At vivus non ita appellatus fuit; non enim tantæ ambitionis nomen ſibi ſumpſiſſet; & ceteroquin certum eſt, quum apud neminem ejus rei memoria reperiatur, neque a Senatu, neque a Populo poſt mortem hac appellatione donatum fuiſſe. Attamen ejus memoria apud omnes ſemper fuit celebris, ut non mirum ſit, exſtare multa numiſmata ejus imaginem repræſentantia, ac etiam plurimas προτομὰς, ſtatuaſque; ait enim (1) Julius Capitolinus: *Sacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam, vel potuit habere, vel debuit.* Addit deinde ſua ætate quoque ſtatuas hujus Imperatoris a multis collocatas fuiſſe inter Deos Penates. Johannes (2) Xiphilinus ſubdit, M. Aurelium Antoninum corpore gracili, infirmoque fuiſſe. Bellorius delineatam (3) nobis exhibet pulcherrimam, & excellentiſſimam προτομὴν hujus Imperatoris juſto majorem adſervatam in villa Burgheſia, mirabile artis opus.

DIOGENES CYNICUS. XXVII.

Bellorius refert marmor ex bibliotheca Fulvii Urſini, & carneolam adlatam quoque a Maffejo, in qua conſpicitur Diogenes Cynicus. In noſtra προτομῇ obſervari debet ejus pallium. Octavius Ferrarius (4) de Cynicis ait: *Sic vero pallium duplicabant, nam cum nudi eſſent, tunicæ vice ſe pallio involvebant, brachiumque exerebant, in eoque humi cubabant.* Diogenes ex aliquorum ſententia primus uſus eſt pallio duplicato (5). Quare a vetere poeta appellatus fuit διπλοείματος. Diocles autem tribuit (6) inventum hujuſmodi veſtimenti Antiſtheni ſectæ Cynicorum auctori. Sidonius Apollinaris tradit, Diogenem exprimi conſueviſſe barba promiſſa: *Diogenes barba comante.* Talis conſpicitur in noſtra hac προτομῇ. Eminentiſſimus Cardinalis Alexander Albanus, amator talium elegantiarum, earumque minime ignarus, poſſidet ſtatuam hujus Philoſophi cum cane ad pedes, quæ adſimilatur huic προτομῇ, quæ reperta eſt extra portam Capenam. Hoc noſtrum caput magis convenit cum verbis Sidonii, quam cum ectypo Bellorii, minus autem cum relato ab Achille Statio n. XI. quod dicit fuiſſe penes Achillem Maffejum, nomenque inciſum eſſe in cervice; at nomen hoc additum eſt ſecundum ingenuum Urſini teſtimonium in præfatione ad partem II. Noſtra autem hæc imago valde ſimilis eſt illi, quæ habetur in collectione ejuſdem Statii n. XII. cum hac inſcriptione ΔΙΟΓΕΝΗΣ ΙΚΕΣΙΟΥ ΣΙΝΩΠΑΙΟΣ, quam ait reperiri *in amphitheatro Vaticano*. Convenit etiam Sidonio, ut ſupra diximus, quare ſane probabile eſt, hanc eſſe veram hujus celebris philoſophi imaginem. Mitto referre alia antiqua monumenta ad hunc Cynicum pertinentia, & exſtantia apud Sponium, Albertum Rubenium, Boiſſardum, Leonardum Auguſtinum, Bernardum Montfoconium, (7) & denique apud Maffejum, de quibus omnibus conſule ſis Gronovium (8); neſcio enim quam fidem mereantur, nec valde, immo nihil fortaſſe prælucent ad veram Diogenis effigiem eruendam. Hæc etiam inciſa eſt in ſarda, quæ erat inter gemmas Ebermayeri num. CCCLII. de qua videndus eſt Reuſchius in enarratione ad

(1) Capitolin. in Vit. M. Aurelii cap. 18.
(2) Xiphilin. libr. 17.
(3) Bell. p. I. n. 33. Imag. Ill. Viror.
(4) Octav. Ferrar. libr. 1. *De re veſtiaria*.
(5) Laërt. libr. 6. ſegm. 22.
(6) Vide Laërt. libr. 6. ſegm. 13.
(7) Montfoc. Antiq. Tom. 3. c. 4. Tab. IV.
(8) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. n. 88.

ad eaſdem gemmas. In hoc noſtro marmore prolixam habet barbam, quod Cynicorum erat, teſte Perſio: (1)

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

THALES. XXVIII.

URſinus (2), & Bellorius (3) in lucem ediderunt caput marmoreum, quod erat penes Achillem Maffejum, in cujus collo cælatum eſt nomen ΘΑΛΗϹ. Multi fuere Thaletes, & Magneſius apud Laërtium (4) quinque ex eis numerat; celeberrimus autem eſt, qui inter ſeptem Græciæ Sapientes primum obtinet locum. Caput a Bellorio relatum videtur illum repræſentare ſenectute decrepita. Deceſſit (5), ut refert Apollodorus, ſeptuageſimo ætatis anno; ut autem adfirmat Soſicrates, nonageſimo. Gronovius (6) putat hanc προτομὴν non germanam, ideoque nec ſimilem eſſe; ait enim Thaleti fuiſſe *mite ingenium*, in hoc autem ectypo truculentus, & terribilis exprimitur. At ne fides habeatur huic marmori, graviori argumento ſunt verba Urſini in laudata præfatione ad ſecundam partem ſuæ collectionis Imaginum Virorum Illuſtrium, in qua ingenue fatetur, nomen Thaletis additum fuiſſe, cujus rei ſuſpicionem quoque movet locus, in quo cælatum eſt. In Muſeo Florentino refertur (7) gemma, quæ videtur ſimilis eſſe huic Urſini προτομῇ, ideo hac, & non alia de cauſa nomine Thaletis inſcribitur.

THEON. XXIX.

PLurium Theonum meminerunt veteres Scriptores. Hæc προτομὴ ipſiſſima eſt, quam refert Sponius, (8) ſua ætate Maſſiliæ exſtitiſſe penes Fouquerium, quamque Smyrnæ repertam, idem Sponius adfirmat, jure & merito putandam eſſe Theonis Smyrnæi, potius quam alterius cujuſque. Notabilis eſt inſcriptionis illius modus: ΘΕΩΝΑ ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΝ ΦΙΛΟΣΟΦΟΝ Ο ΙΕΡΕΥΣ ΘΕΩΝ ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ: *Theonem Philoſophum Platonicum patrem veneratur Theon ſacerdos*. Iſmaël Bulliardus publicavit, & illuſtravit nonnulla ejus opera mathematica; quædam vero adhuc ſuperſunt nondum edita, teſte Philippo Labbeo in Bibliotheca mſs. Quoddam ejus commentarium in Ptolemæi Almageſtum adſervatur in bibliotheca Mediceo-Laurentiana, quod è Græco vertere, & typis edere in animo erat Benedicto Averanio. Hanc προτομὴν è Maſſilia Romam adferendam curavit laudatus Cardinalis Alexander Albanus; tantus ejus eſt amor in haſce antiquitatis delicias.

MAGO CARTHAGINIENSIS. XXX.

IN gemma, quæ erat Fulvii Urſini, conſpiciuntur duo capita, quæ Faber (9), & Bellorius (10) putarunt duorum Afrorum, conjicientes id ex eorum vultu; ex pallio autem judicarunt philoſophos eſſe, Magonem potiſſimum, & Dionyſium. Porro ut hi ſimul conjuncti fuerint, inde fieri potuit, quod Dionyſius Uticenſis Græca fecerit omnia, quæ de agricultura Punicè Carthaginienſis Mago ſcripſerat (11). Varro, Plinius, & Columella eum ſæpe citant. Diophanes Bythinius in epitomen redegit amplum Magonis tractatum in ſex libros diviſum, quem inſcripſit Regi Dejotaro. Dionyſius ſuam verſionem nuncupavit Sextilio (12) Prætori. Προτομὴ delineata in hac Tabula credita fuit ſimilis aliquantum uni ex capitibus dictæ gemmæ. At reperta vera Epicuri imagine, ut dictum eſt n. XI. apertè patuit, etiam hanc Epicuri eſſe, non ſecus ac illa, quæ in Tabula XXV. quod agnoſci poteſt, ſi conferantur hæc capita cum capite Tabulæ V. ex illis, quæ his Obſervatio-

(1) Perſ. Sat. 1. v. 133.
(2) Fulv. Urſin. P. I.
(3) Bell. Illuſt. viror. Imag. P. I. n. 37.
(4) Laërt. lib. 1. ſegm. 38.
(5) Vide Laërt. ibi.
(6) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. n. 30.
(7) Muſ. Flor. T. I. Tab. XLI. n. 9.
(8) Spon. Miſcell. Sect. 4. pag. 135.
(9) Fabr. Imag. Illuſt. n. 86.
(10) Bell. Imag. Illuſt. Viror. P. I. n. 22.
(11) Varr. De re ruſt. lib. 1. cap. 1.
(12) Varr. ibidem.

nibus interſeruntur. Hanc, inquam, eſſe effigiem Epicuri compertum eſt, quum ejus Herma effoſſus eſt in platea Baſilicæ S. Mariæ Majoris. Hæc enim imago viri macie confecti omnino reſpondet corporis habitui, quo uſum eſſe Epicurum ſcimus. Is enim adverſa adeo laboravit valetudine, ut Metrodorus ejus diſcipulus, & in ſchola ſucceſſor librum ſcripſerit, cui titulum fecit Περὶ τῆς Ἐπικούρου ἀῤῥωστίας, ſcilicet *De Epicuri infirmitate*, ut tradidit Laërtius (1). Suidas (2) vero ejus ægritudinem deſcribens addit, eum neque veſtium injectionem ferre, neque ferme e lecto deſcendere, neque ſolem, immo neque ignem intueri potuiſſe; ſanguinem minxiſſe, atque alia pertuliſſe incommoda. Hæc autem omnia non intemperantia, temperanter enim vivebat, ſed nimia ſtudiorum contentio effecit, ut narrat Jacobus (3) Brukerus. Quod autem in noſtro Muſeo plura Epicuri capita collecta ſint, minime mirandum, nam magna eorum copia paſſim habebatur, quia ejus aſſeclæ quammaxime ſuum magiſtrum venerati ſunt, ejuſque imaginis fuerunt ſummopere cupidi, ut non deſint, qui (4) credant illis apud Græcos nomen εἰκαδιστῶν tributum ἀπὸ τῆς εἰκάδος, ſive ab imagine Epicuri inter eos ſervata, quamvis in hoc allucinatos fuiſſe merito contendat laudatus Brukerus. (5)

PYTHAGORAS. XXXII.

HOc caput repræſentare videtur Pythagoram Samium, quum ſimile ſit hujus Philoſophi imagini, quam exhibet Bellorius (6) in parte poſtica numiſmatis Commodi a Samiis cuſi cum inſcriptione ΠΥΘΑΓΟΡΗϹ ϹΑΜΙΩΝ. In aliis Samiorum nummis conſpicitur imago Pythagoræ (7) illius urbis indigenæ; ex qua tamen profugit, ut Polycratis tyrannidem evitaret. Obſervandum autem eſt, eum repræſentari macie confectum. Narrat Hermippus apud Laërtium (8), Pythagoram, quum in Italiam veniſſet, cubiculum ſibi excavaſſe ſub terra, ibique ad certum tempus moratum, inde ſqualentem exiiſſe, & macrum. Hinc populo circumfuſo cœpiſse obtrudere, ſe ex Inferis redire, atque, ut illud ſuaderet, omnia retuliſse, quæ ſe latente acciderant, quæque, antequam foras egrederetur, jam didicerat ex commentariis, quæ ſuo juſsu ſibi mater conſcripſerat. Quicquid ſit de hac narratione, illud plane conſtat, eum ſemper cibi parciſſimum fuiſse, atque inter præcipua illius præcepta hoc adnumerari ſolitum, in cibo videlicet, & potu maximum ſemper adhibendum eſſe modum. Immo Heraclides apud Laërtium tradit, eum, quum amplius vivere recuſaret, inedia periiſſe; licet alii alias adferant ejus mortis rationes (9). Gronovius (10) delineata exhibuit quatuor numiſmata, quæ quamvis habeant non tantum caput, ſed integrum etiam corpus Pythagoræ, parum tamen nobis conferunt ad ejus faciem eruendam. Monet autem, ex fronte naſoque Antonini Pii, & ex barba Juſti Lipſii confici veram Pythagoræ imaginem; quod quidem ſi verum ſit, hæc noſtra προτομὴ omnino eis ſimilis eſt. Jamblicus (11) autem, in hujus Philoſophi vita, formoſum illum fuiſſe dicit, ſed quum in multis quidquid ad Pythagoram adtinet, in immenſum extollat, ſæpe ſæpius a vero aberrat. Ulyſſes Aldrovandus mentionem facit capitis marmorei Pythagoræ elegantiſſime ſculpti, quod in ædibus Cardinalis Gaddi ſervabatur (12).

HIERO. XXXIII.

IN nummo quodam argenteo apud Fulvium Urſinum, Fabro teſte, (13) circa Hieronis Regis Syracuſii caput legebatur epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΕΡΩΝΟΣ. In parte autem poſtica erat quadriga, & Victoria pro auriga, fortaſſe ob victoriam Olympicam Hieronis, quam Pindarus in prima Ode concelebrat. Adfirmat Faber, ſe etiam nummum alium æreum vidiſſe, qui circa Hieronis caput ſolum nomen ΙΕΡΩΝ præſeferebat, & in par-

(1) Laërt. libr. 10. ſegm. 24.
(2) Suidas in Voce Ἐπίκουρος.
(3) Jac. Bruk. Hiſtor. critic. philoſoph. part. 2. libr. 2. cap. 13. §. 3.
(4) Vide Stanlejum P. XII. pag. 944.
(5) Brukerus ibid. §. 6.
(6) Bellor. Tab. XXX. par. 1.
(7) Fabr. Comment. n. 124.
(8) Laërt. libr. 8. ſegm. 41.
(9) Laërt. ibid. ſegm. 39.
(10) Gron. Ant. Græc. vol. 2. n. 40.
(11) Jambl. in Vit. Pythag. n. 14.
(12) Aldrov. *Le ſtatue di Roma pag.* 191.
(13) Fabr. imag. illuſtr. Viror. n. 69.

parte averſa ſtatuam equeſtrem; quod quidem illuſtrat Pauſaniam dicentem (1), fuiſſe Hieroni ſtatuam equeſtrem poſitam, opus celebris Myconis, cujus meminit in quinto Idylio Theocritus. Ælianus (2) tradit, illum otiantem, quod infirmo gracilique corpore uteretur, eruditis ſermonibus animum adpuliſſe; ac præterea adhuc adoleſcentem venuſtate, magnoque animo fuiſſe præditum (3). Aliorum pariter numiſmatum, in quibus Rex hic imberbis, ac diademate cinctus exprimitur, meminit P. Ægidius Lachar (4). Duas vero ſtatuas illi Syracuſios etiam poſuiſſe, teſtis eſt idem Pauſanias (5). In hoc autem marmore, quod jamdiù in Capitolinis ædibus adſervatur, notabile eſt nomen inſcriptum litteris multo majoribus, quam in ceteris Hermis inſpiciantur.

ARISTOPHANES. XXXV.

Hanc eſſe effigiem Ariſtophanis Græci Poëtæ comici præſtantiſſimi ſatis evinceretur ex omnimoda ſimilitudine cum προτομῇ in villa Hadriani Tiburtina olim reperta, quæ nunc penes Magnum Etruriæ Ducem exſtat (6), quæque inſcriptionem præfert ΑΡΙϹΤΟΦΑΝΗϹ ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟϹ. At vero Faber, & Bellorius animadvertentes eo in marmore Ariſtophanem repræſentari comatum, quum tamen is, teſte Plutarcho (7), & ipſomet Ariſtophane in *Pacis* comœdia, fuerit calvus, hinc conjectant, in eo Herma forte excuſum fuiſſe Ariſtophanem nondum ſenem. Verum tum illud, tum noſtrum marmor ſeneſcentem hominem repræſentant. Præterea quum ea, quæ Plutarchus, aliique de Ariſtophanis calvitie tradunt, confirmata legantur in illis verſibus ex laudata ipſius comœdia (8), quis nobis teſtis erit, eum jam ſenem illam elucubraſse fabulam? Immo equidem exiſtimarem, illam ab eo ſcriptam fuiſse anno tertio Olympiadis LXXXIX., poſt quam diu vixit, & talis, ut alias etiam comœdias compoſuerit, quarum una *Lyſiſtrates* inſcribitur, atque in ſcenam producta fuit anno quarto Olympiadis XCII, tredecim ſcilicet annos poſt comœdiam *Pacis*. Quid? quum probabiliter negari poteſt, Ariſtophanem in vv. 767., & 768. comœdiæ jam laudatæ, ubi legitur:

Καὶ τοῖς φαλακροῖσι παραινοῦμεν
Ξυσπουδάζειν περὶ τῆς νίκης

Et calvis etiam victoriam prædico, ut nobis faveant; de ſe ullatenus loqui? Enimvero in ſcholiis antiqui Philologi ad comœdiam inſcriptam *Equites* legitur: Εἶγε φησὶν Εὔπολις ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ, adeo ut conjici poſſit, eos quoque verſus ad Eupolim ſpectare. Denique nomen *Calvus* interdum apud veteres ſignificabat non capillis carentem hominem, ſed pauperem, & inopem; Micones enim populi calvitie celebres (9) pauperrimi erant. (10) *Calvus* etiam idem erat, ac ſtultus; unde proverbium μωρὸν ὁρᾷς φαλακρὸν, quod quidem Syneſius in encomio calvitiei confirmare videtur. Hic autem ſilentio prætereundum non eſt, auctorem Dialogi, cui titulus *Philopater*, ut S. Paulum irrideat, eum vocare *Calvum*, atque ut illudat Chriſtianis omnibus, non ſecus ac ſtulti forent, vocare illos *capillis, & mente captos*. Fulvius Urſinus (11) aſserit, caput Ariſtophanis impoſitum non fuiſse ſuæ προτομῇ, ob eamque cauſam ſubſcriptum nomen negligendum. Et revera effigies a Fabro, Bellorio, & Gronovio (12) edita potius philoſophum illum repræſentat, cui nomen Heracliti eſt adpoſitum. Confer hunc Hermam, ſi lubet, cum Tab. XII. & XIII.

TE-

(1) Pauſan. libr. 6. eap. 12.
(2) Ælian. Var. Hiſt. libr. 4. c. 15.
(3) Idem Hiſt. Animal. libr. 4. cap. 1.
(4) Lachar. Hiſt. Rom. per num. illuſ. p. 193.
(5) Pauſan. libr. 6. cap. 15.
(6) Fabr. Imag. illuſ. Viror. 34. & Bellor. par. II. n. 45.
(7) Plutarch. Sympoſ. libr. 2. quæſt. 1. tom. 2. pag. 634.
(8) Ariſtoph. ibi v. 767.
(9) Plin. libr. XI. cap. 37.
(10) Athen. libr. XI. cap. 7.
(11) Fulv. Urſ. in Præf. ad Part. II. Imag. Viror. illuſtr.
(12) Gronov. vol. 2. n. 68.

TERENTIUS. XXXVI. ET XXXVII.

TErentius Latinus comicus elegantiſſimus, qualis corporis habitu fuerit, comperimus ex Ælio Donato (1), qui ait: *Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco*, quæ ex Svetonio (2) mutuatus eſt. Creditur autem ille repræſentari in hoc marmore, quod ſimile ſit ejus imagini coloribus pictæ, jam a Fabro (3), Bellorio (4), Bergero (5), Gronovio (6), aliiſque multis in lucem editæ, quæ exſtat in Codice Vaticano Terentii, qui adeo antiquus eſt, ut mille annorum ætatem excedere credatur. Gronovius tamen putat, huic picturæ non multo eſſe fidendum, quæ Terentium barbatum exhibet, ſicut & noſtrum marmor; arbitratur enim vir doctus, hujus Poëtæ ætate non conſueviſſe Romanos barbam colere; itemque alium nummum refert ex Muſeo Schwartzburgenſi, in quo creditum eſt Terentium exprimi. Enimvero nummus ille Terentium quemdam exhibet, ut conſtat ex adpoſita inſcriptione TERENTIUS, at hunc eſſe Poëtam illum comicum, nullo probari poteſt argumento: immo hunc non eſſe ex eo forte ſuſpicari licet, quod in averſa nummi parte miles equum cohibens conſpiciatur. Erhardus Reuſch in enarrationibus ad gemmas Joh. Martini ab Ebermayer n. CCCLXV. quum de ea imagine in ſardonyche inciſa pauca admodum diſſeruerit, nihil de ea decernere voluit.

P I N D A R U S. XXXVIII.

PIndarus Poëta Thebanus, teſte Suida, (7) eam ſibi carminibus promeruit famam, ut loco ſummi haberetur honoris, ſi quis ab eo celebraretur. Athenienſes, quod ipſos laudaſſet, illi adhuc vivo ſtatuam æream poſuerunt ante Martis templum, quæ adhuc Pauſaniæ tempore exſtabat (8), eaque Pindarum ſedentem repræſentabat diademate ornatum, pallio indutum, lyram manu, ſuper genua apertum volumen tenentem (9). Eo autem mortuo Thebani quoque monumentum illi ſtatuerunt in hippodromo extra portam Prætidem, ſtadio uno procul ab urbe (10). Ejus faciem ex nullo veterum Scriptorum cognoſcere poſſumus; & Philoſtratus (11) animi potius, quam corporis ejus nobis dedit imaginem. Conſtat, illum interdum aliis mandaſſe recitandas odas a ſe compoſitas, quod ipſe eas cantare nequiret; quare dubitandum eſt, gracilem ipſum fuiſſe. Noſtrum tamen marmor robuſti hominis vultum exhibet; ex quo colligi poſſet, eum voce tantummodo, non corpore fuiſſe gracilem. Exſtabat apud Fulvium Urſinum ſtatua quædam palliata, in cujus baſi legebatur ΠΙΝΔΑΡΟϹ, at caret capite, & manu tenet inſtrumentum fortaſſe muſicum; quod tamen adeo vetuſtate conſumptum eſt, ut quid revera ſit, plane dignoſci nequeat. (12) Refert Bellorius (13) caput diademate ornatum, quod Pindari eſſe autumant nonnulli, quodque Hermæ erat impoſitum in ædibus Juſtinianeis, jam antea a Caninio quoque editum (14), ſed amiſſum eſt nomen ΠΙΝΔΑΡΟϹ, quod legitur in Caninii delineatione. Huic noſtræ ſimilis προτομὴ in ædibus Farneſianis conſpicitur. Exſtat etiam gemma penes magnum Etruriæ Ducem (15) huic προτομῇ valde ſimilis; at eruditiſſimus Gorius hæc in eam modeſtiſſimus adnotat: *Ejus vultum in hac gemma ornatiſſima ſculptum eſſe cenſent aliqui viri antiquitatis periti, qui eam inſpexerunt; ſed haud probare poſſunt, alio tutiſſimo teſtimonio deſtituti*. Itaque minime quidem intelligo, qua ratione Criticus quidam putaverit, illuſtrem hunc virum nimis in judicando eſſe audacem. Ceterum ſi illi gemmam cum noſtro marmore conferre licuiſſet, certius de ea ferre judicium poſſet, & ad certius examen eam revocare.

AU-

(1) Donat. in vit. Terent.
(2) Svet. in Vita Terent.
(3) Fabr. Imag. Illuſt. Vir. n. 140.
(4) Bellor. part II. n. 65.
(5) Berg. ante Comment. *De perſonis &c.*
(6) Gron. Ant. Græc. vol. 3.
(7) Suid. in V. Πίνδαρος.
(8) Pauſan. libr. 1. cap. 8.
(9) Heſchin. Epiſt. 4.
(10) Pauſan. libr. 9. c. 23.
(11) Philoſt. Imag. libr. 2. cap. 12.
(12) Fabr. n. 10. & Bellor. n. 60.
(13) Bellor. n. 59.
(14) Canin. Iconogr. Tab. XXVIII.
(15) Muſ. Flor. t. 1. Tab. XLIII. n. XV.

AULUS PERSIUS XXXVIIII.

DIcitur hæc προτομὴ repræſentare Aulum Perſium Flaccum Volaterranum, & equitem Romanum, qui, etſi uno Satyrarum libro poſteris relicto, jure per omne ævum nomen glorioſiſſimum obtinebit: *Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Perſius meruit*, ait Quintilianus. (1) Bellorius, & ante eum Faber tabulam marmoream retulerunt (2), quæ olim penes Cardinalem Sadoletum, deinde penes Urſinum exſtitit liberalitate Pyrrhi Ligorii, in qua caput coronatum conſpicitur, quod pariter Perſii eſſe contendunt; Fabro inſuper teſtante, idipſum ſenſiſſe & Sadoletum propter coronam ex hedera, qua coronari ſolebant poëtæ ſatyrici, & vultum hominis modeſtiam præferentis. Verum reliqui etiam poëtæ præter ſatyricos hedera coronabantur (3); hoc itaque indicium incertiſſimum. Quod vero ad alterum pertinet, Cornutus quidem, ſive Probus auctor vitæ Perſii ſcribit, eum ſuaviſſimis moribus, virginali pudore, & facie modeſta æque ac venuſta fuiſſe, ut hîc apparet.

ANACREON. XXXX.

PEnes Fulvium Urſinum nummus æreus ſecundæ magnitudinis adſervabatur, qui teſte Fabro (4) præferebat caput Anacreontis coronatum, circa quod erat ejus nomen inſcriptum; in parte vero averſa nomen ejus patriæ, & imaginem Bathylli venuſti adoleſcentis, qui Anacreontis carminibus argumentum præbuit. Hunc ipſum nummum refert Bellorius (5), atque ejus meminerunt etiam Gronovius (6), Gisbertus Cuperus, & Maffejus ad illuſtrandam carneolam (7), in qua cælatum eſt caput coronatum, Hermæ impoſitum, quod licet inſcriptione careat, collatum tamen cum prædicto nummo, Anacreontem repræſentare videtur. Hæc autem carneola, quam illuſtravit Maffejus, eadem forte eſt, de qua loquitur Faber his verbis (8): *Alia effigies huic perſimilis in quadam pulcherrimi coloris corniola apud Fulvium Urſinum conſpicitur, ab excellente artifice ſculpta, quam a quodam Anacreontis, & poëmatum ejus ſtudioſo in anulo geſtari ſolitam crediderim.*

Obiit Anacreon longævus, ſcilicet annorum quinque, & octoginta. Ejus ſepulcro impoſitam fuiſſe ejus ſtatuam habetur ex hoc Theocriti epigrammate, in quo poëta ait:

Θᾶσαι τὸν ἀνδριάντα τοῦτον, ὦ ξένε,
Σπουδᾷ, καὶ λέγ' ἐπὰν ἐς οἶκον ἔνθῃς:
Ἀνακρέοντος εἰκόν' εἶδον ἐν Τέῳ

Aſpice hanc ſtatuam, hoſpes,
Studioſe, & dic domum reverſus:
Anacreontis imaginem vidi in Teo &c.

Hoc epigramma in marmore inciſum Anglus quidam vidit Venetiis in ædibus Eriziorum, teſte Joſue Barnes (9) in Notis ad Anacreontem. Ex alio autem epigrammate conſtat (10), eum in inſula Teo ſepultum fuiſſe; unde fit veroſimile ſtatuam, de qua in laudato epigrammate mentio eſt, fuiſſe ejus tumulo impoſitam. Memorat Pauſanias (11) aliam illius ſtatuam Athenis poſitam prope ſtatuam Xantippi patris Periclis; ea vero hunc Poëtam repræſentabat ebrioſum, & cantantem, nam vulgo exiſtimabatur egregius potator, forte quia ſuis carminibus ſæpe vinum laudavit. Sicuti autem (12):

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus;

ita etiam dicendum de Anacreonte, de quo idem prædicant plura epigrammata in Anthologia. At hoc argumentum fallax, & incertum eſt. Quod ſi ſculptor illius ſtatuæ eum finxit ebrioſum, ad ejus odarum argumenta reſpexit; teſtatur enim Athenæus, (13) eum val-

(1) Quint. Inſt. Orat. libr. 10. c. 1.
(2) Bellor. num. 58. Faber n. 103.
(3) Tibull. libr. 2. eleg. 5. Horat. libr. 1. od. 1. & libr. 1. epiſt. 3. Juv. ſat. 7. v. 29. Mart. libr. 8. epigr. 82.
(4) Fab. Comm. in Imag. ill. Vir. n. xi.
(5) Bellor. Imag. illuſ. Vir. par. II. n. 43.
(6) Gron. Ant. Graec. vol. 2. n. 41.
(7) Maff. Gem. antiq. par. I. n. 69.
(8) Faber ibidem.
(9) Anacr. edit. Cantuar. 1705. in 12. pag. 373.
(10) Anthol. libr. 3. epig. 49.
(11) Pauſan. in Attic. libr. 1. c. 25.
(12) Horat. libr. 1. ep. 19. v. 6.
(13) Athen. libr. 10. cap. 7.

valde ſobrium ac temperantem fuiſſe; & Socrates apud Platonem (1) illum ſapientem nominat, ac prudentem. Galato etiam evomentem pinxit Homerum; at non eo certe conſilio, ut illum ebrietatis argueret, ſed plane ut innueret, quod Ælianus docet (2), exſuberantem, copioſamque imaginum vim, quibus referta ſunt ejus poëmata.

Refert Caninius (3) nummum quemdam cum capite adoleſcentis, quod ipſe Anacreontis imaginem eſſe putat ex eo, quod capillos erectos, ac directos ſurſum, pariterque os hians habeat, ſpecie ferme, ut ipſe ait, canentis hominis, ac poëtico adflati enthuſiaſmate, in eoque ingentem agnoſcit ſimilitudinem cum ſtatua a nobis laudata, & ea, quam Pauſanias deſcribit. Verum alii antiquitatis periti (4) potiori fortaſſe jure contendunt, adoleſcentem illum eſſe Bathyllum adeo celebratum ab hoc Poëta, eoque magis, quod capillos ita concinnatos præferret, ut ab eodem Anacreonte deſcripti ſunt (5):

Ε'λικας δ' ἐλάυθέρους μοι	*Cincinnuloſque liberos mihi*
Πλοκάμων ἄτακτα συνθεὶς	*Capillorum incompoſitè componens,*
Α'φες ὡς θέλουσι κεῖσθαι.	*Permitte, ſuo arbitrio jacere.*

De nummis vero in honorem hujus Poëtæ cuſis meminit etiam Vir Clariſſimus Gisbertus Cuperus (6).

A R A T U S. XLII. ET XLIII.

PEnes Fulvium Urſinum erat nummus æreus mediæ magnitudinis, qui utrinque diverſum caput habebat, & circa alterum ipſorum hanc inſcriptionem ΠΟΜΠΗΙΟΝ ΠΟΛΕΙΤΩΝ. (7) Tum Aratus celebris Aſtrologus, eximiuſque Poëta ætate Hieronis Siciliæ Regis, tum Philemon Comicus nati fuerunt Pompejopoli (8) in Cilicia, quare capita in dicto nummo cuſa putavit Faber duorum horumce illuſtrium virorum facies exprimere; & Arati illud, quod circumdatur inſcriptione, atque ſurſum ſuſpicit, ut eo ſtatu illum ſtuduiſſe Aſtronomiæ indicaretur. At Spanhemius putat (9) alterum caput, non Philemonem repræſentare, ſed Chryſippum Stoicum civem ejuſdem urbis, & a Strabone (10) recenſitum cum Arato, & Philemone, ſed primo loco, inter illuſtres viros Pompejopolitas. In eadem ſententia eſt Bellorius (11), & id conjicit ex pallio, unde exerit manum Chryſippus, illud enim philoſophorum erat, non autem poëtarum, inter quos Philemon eſt annumerandus.

Gronovius (12) reprehendit Gallæum, quod retulerit imaginem Arati diſſimilem ab hoc nummo, quum eum expreſſerit naſo recto, in numiſmate autem ſimum habeat. An marmor delineatum in hac tabula, & ſequenti verè repræſentent Aratum, ut dicitur, aliorum eſto judicium, mihi namque ſatis eſt indicaſſe nummum Fulvii Urſini, & adnotaſſe, re vera Aratum Pompejopolitam fuiſſe, & prope eam urbem ſepultum in monumento extante adhuc ætate Pomponii Melæ (13), ideo illud memorantis, quod eſſet ignotum: *Juxta in parvo tumulo Arati Poëtæ monumentum ideo referendum, quia ignotum; quam ob cauſam jacta in id ſaxa diſſiliunt*. Tandem non tacendum, Sidonio teſte, (14) Aratum conſueviſſe pingi *cervice panda*. Sic enim multorum imagines philoſophorum nobis ob oculos ponens, ac quomodo pingerentur nos docens, ait: *Zeuſippus cervice curva*, ARATUS PANDA, *Zenon fronte contracta*, *Epicurus cute diſtenta*, *Diogenes barba comante*, *Socrates coma candente*, *Ariſtoteles brachio exerto*, *Xenocrates crure collecto*, *Heraclitus fletu oculis clauſis*, *Democritus riſu labiis apertis*, *Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis*, *Euclides propter menſurarum ſpatia laxatis*, *Cleanthes propter utrumque corroſis*. Secundam hanc προτομὴν, licet quidam putaverint Arati, alii eam judicant alterius philoſophi. Προτομὴ ſimillima huic primæ tab. XLII. exſtat in ædibus Farneſianis. Exſtat & alia in hoc Muſeo Capitolino, quam brevitatis gratia omiſimus, nec ære incidendam curavimus. In tomo XLIII. Antiquiorum monumentorum, quæ Pyrrhus Ligorius improbo labo-

(1) Plat. in Phædr.
(2) Ælian. Var. hiſt. libr. 33. cap. 22.
(3) Canin. Iconogr. n. 6.
(4) Gronov. Ant. Græc. vol. 2. n. 4.
(5) Anacr. Od. 29.
(6) Gisb. Cuper. Apoth. Hom. pag. 3.
(7) Vide Fabr. n. 26. Bell. P. II. n. 44.
(8) Vide Suid. ad vocem Α'ρατος σολεύς.
(9) Spanhem. De præſt. Numiſ. T. I. pag. 53.
(10) Strab. libr. 14. pag. 671.
(11) Bell. P. I. n. 12.
(12) Gron. Vol. 3. lit. d.
(13) Pomp. Mel. De Situ Orbis libr. 1. cap. 13.
(14) Sidon. libr. 9. ep. 9.

bore collegit , delineavitque , & enarrationibus utcunque illuſtravit , quod opus profectò celebre, nec unquam editum inter Otthobonianos Codices adnumerabatur, qui nunc BENEDICTI XIIII. opere, & munificentia in bibliothecam Vaticanam numero ſupra tria millia confluxerunt, hæc habentur pag. 61. *Era nelle antichità raccolte da Meſſer Pietro Mellino l'effigie di Arato Poeta, che ſcriſſe dell'Aſtronomia, che moſtrava di contemplare il cielo, la quale fu trovata nella caſa di Celio Balbino Imperatore poco lontano alle Carine, o amfiteatro della caſa Flavia detto odiernamente il Coloſſeo.* Hoc Arati caput forte idem eſt, ac illud, quod ære inciſum eſt in hac tabula, nam hoc etiam ſurſum reſpicit, quemadmodum caput, quod apud Petrum Mellinum adſervabatur, e ruderibus domus Balbini prope Coloſſeum erutum, ut narrat Ligorius.

HESIODUS. XLIIII.

PUtabunt nonnulli hoc caput repræſentare inſignem Poëtam Heſiodum ob quamdam ſimilitudinem cum tribus hujus Poëtæ imaginibus relatis a Bellorio (1). Ex epigrammate Anthologiæ (2), & ex Urſino colligitur Byzantii in publico gymnaſio Zeuſippi exſtitiſſe ſtatuam æream, quæ Heſiodum canentem carmina referebat; & Pauſanias quoque meminit trium Heſiodi ſtatuarum, unius quidem poſitæ prope forum Teſpienſium, (3) alterius erectæ a Smicito in templo Jovis Olympici (4), & tertiæ tandem poſitæ in monte Heliconis, ſedentis cum cythara (5), etſi inſtrumentum illud minime ad eum pertineret, ut Pauſanias ipſe obſervat. Imagines relatæ a Bellorio duæ ſunt ex marmore, & una in carneola inſcripto nomine HCIOΔOC. At hæc gemma valde diſſimilis eſt a marmoribus; nec mirum, nomen enim non imaginem, ſed cælatorem indicat. Refert inſuper Hermam ſine capite, ubi legitur HCIOΔOC ΔIOY ACKPAIOC. *Heſiodus Aſcræus filius Dii*. Licet Cumæ natus, Aſcræus appellatus fuit, quod Aſcræ vixerit, eo adhuc puer ductus a Dio, & Picimide parentibus. (6) Fuit Heſiodus miſerè cæſus (7) at ita ſenex, ut ortum inde fuerit proverbium: Ἡσιόδȣς γηραιότερος, *Senior Heſiodo* (8). Ob eamdem rationem, qua nonnulli putarunt caput in hac tabula delineatum Heſiodi eſſe, creditum quoque fuit, ejuſdem eſſe caput expreſſum in gemma Muſei Florentini (9), quæ caret, non ſecus ac noſtrum marmor, nomine. Aliud etiam in ſarda inciſum videre eſt inter gemmas, quas Joh. Martinus (10) ab Ebermayer collegit, quæ quum minus accurate in ære delineatæ ſint, parum ad vultus ſimilitudinem captandam conferre poſſunt. In hoc Muſeo Capitolino ſuperſunt duo alia capita huic ſimillima, ſed ne nimii eſſemus, referre omiſimus. Duorum Hermarum huic noſtro ſimilium meminit idem Pyrrhus Ligorius pag. 133. Codicis ſuperius citati, cujus hæc ſunt verba: *Fu anco nella villa Adriana Tiburtina dedicato in queſta forma di termine, la quale immagine ebbe Papa Giulio III. e dopo la ſua morte è andata a traverſo, e occultata da chi ne ha fatto il furto. Un'altra immagine ancora del medeſimo poeta ſi vede nella caſa di Monſignor Girolamo Veſcovo Gariberto in Roma ſul Monte Citorio.* Verum & Hermam, quem periiſſe dolet Ligorius poſt mortem Julii III. Pontificis Maximi, ad cujus manus poſtquam in villa Tiburtina Hadriani effoſſus fuerat, pervenerat, & alterum quoque, qui erat penes Epiſcopum Garimbertum, fieri poteſt eoſdem eſſe, ac illi qui nunc in noſtro Muſeo exſtant.

APOL-

(1) Bell. Illuſt. Imag. n. 50. & 51.
(2) Anthol. libr. 5. epigr. 6., & Urſin. P. II. n. 23.
(3) Pauſ. libr. 9. cap. 28.
(4) Idem libr. 5. cap. 26.
(5) Pauſ. libr. 9. cap. 30.
(6) Vide Strab. libr. 9. & 13. pag. 409. & 622. & 924.
(7) Vide Suidas ad vocem Ἡσίοδος Κυμαῖος.
(8) Vide Plut. in Conviv. ſeptem Sapientum circa finem, & Eraſm. Adag. Chil. 2. cent. 7. Prov. 61.
(9) Muſ. Florent. T. I. Tab. XLIII.
(10) Joh. Mart. ab Eberm. n. CCCXI.

APOLLONIUS TYANEUS.
L I I. E T L I I I.

APollonius Tyaneus, quæ urbs eſt Cappadociæ, Philoſophus Pythagoricus dictus, hanc ſibi appellationem adeptus eſt ſuis impoſturis, tantamque admirationem, ut Tyanenſes ei templum ædificaverint (1), alterumque promiſerit ſe ædificaturum Imperator Aurelianus (2). Non itaque miremur in ejus honorem cuſos non ſolum nummos, ſed plurimas quoque ſtatuas pluribus locis erectas. Aureliano quidem imperante, multæ conſpiciebantur in pluribus templis (3). Alexander Severus habebat ejus effigiem in ſuo larario (4), aliamque teſte Lactantio (5) adorabant Epheſii ſub nomine Herculis. Putatur itaque imago hujus impoſtoris repræſentari marmore expreſſo in hac tabula, & in ſequente, quod probatur ex horum ſimilitudine cum capite Apollonii, ex nummo æreo majoris moduli Muſei Reginæ Svecorum, delineato, relatoque a Bellorio (6), in cujus ambitu legitur APOLLONIUS TEANEUS. Fulvius Urſinus habebat quoque nummum æreum, omnino ſimilem nummo Reginæ, & Faber (7) obſervat artificem per errorem ſcripſiſſe TEANEUS pro TYANEUS. In ædibus Farneſianis nunc reperitur προτομὴ hujus impoſtoris ex marmore Pario. Bellorius quoque meminit alterius προτόμης marmoreæ Apollonii, quondam in Muſeo Leonardi Auguſtini, tranſvectæ deinde Roma Neapolim in bibliothecam Joſephi Vallettæ. Addit quoque Faber Urſinum habuiſſe in anulo aureo elegantiſſimum amethyſtum, in quo, præter nomen Apollonii, erat etiam imago Dianæ, conjicitque fortaſſe illo uſum fuiſſe die Lunæ Apollonium, qui quotidie pro planetarum varietate vario utebatur anulo.

Triſtanus (8) edidit nummum majoris moduli, in cujus altera parte erat caput cum inſcriptione APOLLONIUS TEANEUS, in averſa autem athleta vectus quadriga, dextra ſtringens flagellum, & ſiniſtra palmam cum inſcriptione STEPHAN. NIKA. Putat hic auctor caput eſſe Juliani Imperatoris habitum pro capite Apollonii; & re vera conſuevit Julianus repræſentari ſub imagine etiam alicujus numinis Ethnici (9). Putat inſuper nummum a Fabro relatum, eumdem eſſe ac ſuum, ſed Fabrum illum non vidiſſe, ideoque omiſiſſe partem ejus poſticam. Bellorius tamen reperit in Muſeo Reginæ Svecorum nummum majoris moduli omnino ſimilem illi, quem Faber edidit. Præterea nummus Triſtani repræſentat caput in ſtatu omnino diverſo, ac caput exhibitum a Fabro, & Bellorio, multumque diſcriminis eſt etiam in barba, & capillis, ſi tamen utrumque ſit exacte delineatum.

His autem omiſſis, præcipuè obſervandum judico, quod ait Philoſtratus (10), ut genuinæ formentur imagines Apollonii; nempe certo habendum diutiſſime illum vixiſſe, ex aliquorum ſententia ad octoginta, ex aliorum ad nonaginta, ex nonnullorum denique uſque ad centum annos, vegetiorem ſemper, & hilariorem ipſiſmet adoleſcentibus; quum enim quadam venuſtate præditæ eſſent rugæ ipſæ ejus faciei, eam præcipue admirabantur omnes, ut teſtabantur illius imagines collocatæ in ejus templo Tianæ conſtructo, utque comprobant antiqua monumenta, in quibus celebratur magis ſenectus Apollonii, quam juventa Alcibiadis. Tandem mirandum non eſt, repræſentari ſuam effigiem cum barba promiſſa; nutrire enim barbam, & comam ſectæ erat Pythagoricæ, & ipſum utramque nutriviſſe teſtantur Philoſtratus (11), & Joannes Tzetzes (12) narrantes, Domitianum injuriam intuliſſe Apollonio, quum mandavit ei cæſariem, barbamque radendas. Ejus effigies marmorea exſtat & in Villa Burgheſia in monte Pincio, cujus meminit Ficoronius in antiquis Romæ Veſtigiis pag. 72.

HO-

(1) Vide Philoſtr. libr. 1. cap. 5. & libr. 8. cap. 29.
(2) Vide Vopiſ. in vita Aureliani cap. 24.
(3) Idem ibid.
(4) Lamprid. in vit. Alexandri Severi cap. 29.
(5) Lactant. libr 5. cap. 3.
(6) Bell. P. I. n. 2.
(7) Fabr. Imag. ill. vir. n. 24.
(8) Triſt. T. III. Hiſt. Imperat. pag. 726.
(9) Vide Liban. in orat. in morte Juliani.
(10) Philoſtr. in vit. Apollon. lib. 8. cap. 29.
(11) Philoſt. libr. 7. cap. 34.
(12) Tzetz. Chil. 1. §. 60.

HOMERUS. LIV. ET LV.

CHii (1) putantes Homerum civem ſuum eſſe , repugnante licet Ariſtotele (2) nummos excuderunt cum ejus imagine . Id etiam eadem de cauſa Smyrnæi fecerunt, qui eum æternitati nummis commendarunt , & inſuper ei templum ædificarunt teſtibus Tullio (3), & Strabone (4). Incertum autem, an in nummis Smyrnæis eſſet imago Homeri ; ſed maxime probabile eſt, quum illi nummi appellentur ex ejus nomine Ὁμήρεια. Pauſanias (5) refert, ante templum Apollinis Delphici ſtatuam æream hujus Poëtæ impoſitam fuiſſe columnæ, inferneque cælatum oraculum Apollinis, qui interrogatus fuit de ejus patria, de qua tam multi diſceptabant. Et idem (6) alibi nos docet, etiam templum Jovis Olympici ſtatua Homeri ornatum fuiſſe. Urſinus (7) edidit Hermam capite truncum, in quo leguntur tria epigrammata Græca Æliani, quem ipſe putat eumdem atque auctorem Variarum Hiſtoriarum; quæ epigrammata refert Latinis carminibus verſa a Laurentio Gambara poëta Brixiano. Idem Urſinus putat, hunc Hermam collocatum fuiſſe ab Æliano in bibliotheca ſuæ villæ in via Oſtienſi. Admirabilem deſcriptionem formæ corporis Homeri reperimus in Anthologia, cujus referam elegantem Grotii verſionem Latinam, omiſſo longiore textu Græco: (8)

Senium præferre videtur,
Dulce, ſed hoc ſenium eſt, & ab illo ditior ori
Gratia: conveniunt gravitas, & amabile quiddam;
Blanda verecundo majeſtas lucet in ore:
Innatat incurva canus cervice corymbus
Vertice deſcendens, & circum funditur aures.
Mento barba cadens ſpatio diſpeſcitur amplo
Mollibus illa pilis, multoque volumine, nec ſe
Cogit in anguſtum, ſed latè excurrit, & infra;
Et veſtis ſimul eſt ea pectoris, & decus oris.
Nuda comis frons eſt, & adeſt ſapientia fronti,
Unde ſibi mores ducat puer: exſtat utrinque
Umbra ſupercilii: namque ars hoc provida vallum
Addiderat, vacui ſuberant, quia luminis orbes &c.
Nonnihil introrſum ſe ſe cavat utraque mala,
Utraque ſulcatur rugis, ſed utrique venuſtus
Eſt pudor &c.

Hæc deſcriptio videtur planè convenire cum his duobus capitibus, in quibus gravis majeſtas elucet mixta aſpectui hilari, & gratiæ, quum cælator expreſſerit, ut ait Græcus textus, πλειοτέρην χάριν gratiam quamdam ferè affectatam, ſed mixtam κόσμῳ αἰδοίῳ τε φίλῳ, ornatui venerabili, & grato. Videtur cervix aliquantum incurva ſenectute αὐχένι κύπτοντι, coma ampla in occipite Καὶ τῆς εἰσοπίσω πεφόρημενος, quæque defluit circum aures; & barba, quæ cadens *expanditur* ἀῤῥύνετο, licet Grotius ob metrum vertat *diſpeſcitur*, & mollis eſt, & valde criſpa μαλακὸς καὶ ἄτρεχος, frons aperta eſt, & aliquantum calva, ſupercilia extantia, & malæ introrſum cavatæ, rugoſæque, ut dici poſſit, quod ait laudatum Epigramma, hoc caput potius divinum opus eſſe Palladis, quam ſtatuarii manu elaboratum. Urſini collectio continet ectypum ſimile huic Tabulæ LIV. (9) Noſtrum vero Muſeum quatuor, & fortaſſe plura capita ſervat Homeri, at incidenda curavimus ſolum duo excellentiora, quorum excellentiſſimum Tabulæ LV. in antiquo muro ſub villa Ducis Cajetani in via, quæ a Colle Exquilino ducit ad Lateranum, repertum fuit, ibi infixum velut informe ſaxum capite inverſo. Faber murarius hunc diruens murum imprudenter cervice malleo percuſſa, illud a trunco ſeparavit, ignotumque in via reliquit. At prætereuntes di-

(1) Jul. Poll. libr. 9. ſegm. 84.
(2) Ariſt. libr. 2. Rhetor. cap. 23.
(3) Cic. pro Arch.
(4) Strab. libr. 14. pag. 646.
(5) Pauſ. in Phoc. libr. 10. cap. 42.
(6) Idem in Æliac. libr. 1. cap. 26.
(7) Fulv. Urſin. Imag. Illuſt. Vir. P. II. pag. 21.
(8) Anthol. libr. 5. epigr. 61.
(9) Fulv. Urſin. Illuſ. Viror. p. II. n. 28.

diluculo duo foſſores, alter caput, truncum alter reperit, quæ omnia vendiderunt Franciſco Ficoronio antiquarum rerum peritiſſimo. Leo Allatius (1) in ſuo erudito opuſculo *de Patria Homeri*, mirificè exultat, quod repererit apud Cardinalem Franciſcum Barberinum ſeniorem elegantem Chiorum nummum, quem ipſe cuſum putat ante Chriſtum natum, ejuſque ectypum exhibet, deſcribitque ita Homeri effigiem (2): *Homo provectæ ætatis, manibus volumen evolutum tenens, ſellæ inſidet, barbæ impexæ, nec adeo longæ, concreti cincinni promittuntur. Oculi cavi, ac fixi, ſupercilia hirſuta, contractaque, rugæ frontis, plicæ denique faciei, omnes meditantis, ac aliquid parturientis ſunt*. Quæ deſcriptio planè congruit cum noſtris marmoribus, quæ eum inſuper oſtendunt vitta ornatum inſtar diadematis, non ſecus ac laudatus nummus, quaſi ſi Chii oſtendere vellent Homerum Poëtarum Regem eſſe, ut eum appellavit Plinius (3). At denique Allatius (4) diſcernit duas Homeri imagines, veram alteram, ſimilemque ex gente in gentem poſteritati traditam, & alteram, quam ipſe confictam putat. Neque hæc opinio temere prolata eſt, immo Allatius poterat eam confirmare auctoritate Plinii (5) narrantis, Aſinium Pollionem, quum ornaturus ſuam bibliothecam, vera Homeri imagine deſtitutus eſſet, eam fingendam curaſſe. Contendit itaque veram Homeri imaginem repræſentari in laudato nummo Chiorum, & in ſtatua trunca relata ab Urſino, & Bellorio. Capita vero tot Hermarum, qui Romæ paſſim ſunt, quæ exiſtimantur Homerum repræſentare, conficta eſſe ex ingenio, atque id ſuſpicatur ex longa barba, quæ contra in nummo, & in prædicta ſtatua valde brevis eſt. Tamen cum in his Hermis appareat multo ſenior, nec cum tàm longa barba, quàm viſa eſt Allatio, & faciei forma ſimilis ſit, ea quidem ratione, qua homo mediæ ætatis poteſt homini admodum ſeni adſimilari, neſcio an dici poſſit illam effigiem veram, hanc falſam eſſe. Falſas certè dicerem imagines nummorum in ejus honorem cuſorum a multis civitatibus, de quibus eruditè admodum, & cate Cuperus (6), eos referens in ſuo opere *De Homeri Apotheoſi*, quorum multos ante ipſum retulerat Urſinus (7), & etiam videri poſſunt apud Gronovium (8), ex quibus parum ſimilitudinis colligi poteſt, & minus etiam ex gemma Auguſtini relata a Maffejo (9). Poſtremo videnda eſt Diſſertatio quædam typis impreſſa C. V. Franciſci Ficoroni *De nummo Homeri*.

Plus ſimilitudinis agnoſco in geminis Muſei Florentini (10) gemmis, licet non omnimodam cum Herma hic allato, fortaſſe tamen in ipſis junior repræſentatur. Cæterum, quam ſit veriſimile, noſtram προτομὴν referre genuinam, & non confictam Homeri effigiem Bellorius demonſtrat; quod autem Aſinius Pollio artifici confingendam mandaverit, id ex eo fortaſſe fuit, quod diligenter illam exquirere noluit; ætate enim Plutarchi (11) ſtabat adhuc Homeri ſtatua ipſi poſita jam inde a Socratis ævo, imò etiam ad tempora ſequiora Juſtiniani perdurabat ſimulacrum hujus poëtarum numinis, quod periit incendio excitato ex celebri ſeditione contra hunc Imperatorem, *Nica* appellata, ut patet ex Cedreno (12), qui teſtatur ſtatuam illam mirandum fuiſſe artis miraculum, eamque ita exactè deſcribit, ut intueri eam videaris. Ut autem de ſolo capite loquar, ait, facie cogitabundum fuiſſe, barba ſine cultu promiſſa, capillis æqualibus, & raris, utrinque a fronte procidentibus, facie tetrica ex ſenectute, oculiſque hærentibus ad palpebras, ad oſtendendum cæcum fuiſſe, ut fama eſt; quæ deſcriptio pariter aptatur noſtro marmori, necnon capiti æreo, quod olim penes Comitem Arundellium Londini ſervabatur, poſtea in Muſeo Richardi Mead M. D. formis æreis inciſum cum hac epigraphe: *Antiquiſſima Homeri ſtatua egregii operis, ut deſcribit Cedrenus, Conſtantinopoli Juſtiniano imperante incendio periiſſe dicitur. Statuæ autem illius hoc eſſe caput ex ruderibus poſtea feliciter ſervatum, quum ex oris figura, & lineamentis, tum ex manifeſtis liquefacti metalli indiciis conjectari licet*. Jam vero ſi hæc ſtatua conficta fuiſſet, neque veram Homeri imaginem repræſentaſſet, haudquaquam Cedrenus tanto ſtudio, & cura eam deſcripſiſſet. Cum autem ſit genuina Homeri imago, eximioque ſculptore cælata ſit, neceſſe eſt, ut quam ſimillima fuerit. Accedit etiam, quod planè convenit cum hujus Poëtæ effigie, quam exhibet celeberrima tabula Apotheoſis Homericæ, monumentum auro contra æſtimandum, quod adſervatur in ædibus Comeſtabilis Columnæ. Verba Cedreni hæc ſunt: Συνάγων τὸν νῶν &c. καὶ πώγων αὐτοῦ ἁπλῶς κα-

(1) Leo All. De patr. Hom. in epiſt. ad Lect. pag. xi.
(2) Idem ibidem pag. 10.
(3) Plin. Hiſtor. libr. 7. cap. 29.
(4) Leo All. ibidem pag. 27.
(5) Plin. Hiſt. libr. 35. cap. 2.
(6) Cup. Apoth. Hom. pag. 7. 8. & 9.
(7) Fulv. Urſin. Ill. Vir. P. II. pag. 21.
(8) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. n. 19.
(9) Maff. gemm. antiq. p. I. n. LXVII.
(10) Muſ. Flor. p. I. Tab. XLIII. n. 1. & 2.
(11) Plut. Vit. X. Orat. cap. 4. in Iſocr.
(12) Cedr. Comp. Hiſt. n. 149. pag. 369. Edit. Reg.

καθεῖτο, θρὶξ τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ὁμοία ἐν τοῖς ἑκατέρωθεν τοῦ βρέγματος ἀραιουμένη, περιχωμένω δὲ τοῦ προσώπου γήρατι &c. ὄμματα δὲ συνημμένα τοῖν βλεφάροιν, οἷον καὶ ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος ἔχει, τυφλὸν ἐμφαίνοντα. Quamobrem huic tuto fidendum, poſthabendique ſunt nummi corona ambiti, *contorniatos* vocant, præferentes faciem cum longa barba apud Urſinum (1), Bellorium (2), ac denique apud Gronovium (3), & Cuperum (4); pariterque ille negligendus, qui eſt apud Fabrum (5) præfixus etiam verſioni Iliadis Antonii Mariæ Salvinii editæ Florentiæ 1723. cura Cl. V. Antonii Mariæ Biſcionii Cæſarei Florentiæ Bibliothecarii, qui nequaquam congruunt citatis deſcriptionibus.

Tandem conſulendus eſt eruditiſſimus Raphael Fabrettus (6), qui tamen, dum ipſe errat, putat Fabrum allucinari, qui dicit Hermam truncum cum inſcripto epigrammate Græco caput habere, namque Faber refert quidem Homeri Hermam, verum non uno, ſed tribus Æliani epigrammatibus Græcis, quorum alterum eſt in Anthologia, non autem affirmat caput habere; at repertum fuiſſe prope illum truncum, & ad hunc poſſe pertinere. Videatur quoque, quæ de hac noſtra προτομῇ Capitolina diſſerit eruditiſſimus Abbas Rodulphus Venutus in explanatione Muſei Borioni n. X. Capita Homeri tenia, ſeu diademate ornata eſſe, haud mirandum, quum hoc ornamentum conſpiciatur in προτομαῖς Virgilii, Ariſtophanis, Pindari, Apollonii Tyanæi, Archimedis hujuſce Muſei, & aliquorum capitum ignotorum in Tabb. 7. 50. 51., quæ fortaſſe ſunt effigies inſignium poëtarum, inter quas aliquæ etiam Homeri, ut illæ Tabb. 51. & 89. a peritis rerum antiquarum creduntur. Plato quoque, aliique tribuerunt Homero hoc honoris inſigne, ut videri poteſt apud eumdem Cuperum (7). His addere non prætermitto, hæreticos Carpocratianos habuiſſe apud ſe imaginem magni hujus Poëtæ, ut videri poteſt apud SS. Auguſtinum (8), & Damaſcenum (9), quapropter nil mirum, ſi tot Homeri effigies reperiantur. An autem ipſe cæcus fuerit, ut ſculptor noſter eum effingere ſtuduit, patet ex teſtimonio Herodoti, & Plutarchi in vita hujus Poëtæ, & Pauſaniæ (10), necnon Heſychii Mileſii (11), & Suidæ (12), aliorumque ſcriptorum, quos congeſſit Meurſius (13); quamobrem nihil officit, ſi Vellejus (14) aliter ſentiat. Cæcus etiam apparet in gemma n. CCCV. Cl. V. Ebermayeri.

CAPUT INCOGNITUM, LVI.

Nonnulli putarunt hanc προτομὴν repræſentare Aſpaſiam, doctrina, facundiaque celebrem, ut referunt Plato, Athenæus, & Suidas, cui laudi fuit Socratem, & Periclem habuiſſe auditores. Capitibus tamen incognitis adnumeravimus, omiſſa enim lineamentorum vultuſque conſideratione, certum eſt nomen Aſpaſii, cælatum in gemma, quæ erat apud DD. Rondaninios, relata a Caninio (15), Bellorio, (16) & Gronovio (17) ſculptorem tantummodo denotare. Quod apertè dignoſcitur, licet cuique notiſſimum ſit, ex alia gemma apud eoſdem Caninium (18), & Gronovium, (19) qui in ea Aſpaſiam referri putant, in qua cælatum eſt nomen *Apollodoti*. Præterea nomen ACΠACOY ſignificat Aſpaſum, aut Aſpaſem, minimè verò Aſpaſiam, quod etiam advertit Menagius (20). Quare ſapienter Cauſeus (21) ſuſpicatur, talem gemmam a ſe quoque deſcriptam, ad Palladem potius pertinere; contra vero Haymus (22) contendit potius Aſpaſiam eſſe eam, quæ eſt in averſa parte cujúſdam nummi, & in laudata gemma Caninii, a nomine, quod, ut diximus, contrarium indicat, deceptus.

CLEO-

(1) Fulv. Urſin. Ill. Vir. P. II. n. 21.
(2) Bell. Imag. Ill. Poët. P. II. n. 53.
(3) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. n. 19.
(4) Cuper. Apoth. Hom. pag. 7. 8. & 9.
(5) Fabr. Ill. Vir. n. 72.
(6) Fabrett. ad Tabell. Iliad. pag. 346.
(7) Cuper. Apotheoſ. Hom. pag. 19.
(8) S. Auguſt. De hæreſ. cap. 7.
(9) S. Joannes Damaſ. Hæreſ. n. 27. T. I. pag. 82. Edit. Pariſ. 1712.
(10) Pauſ. libr. 2. cap. 33. & libr. 4. cap. 33.
(11) Heſych. Mil. in Vit. philoſoph. p. 31.
(12) Suidas in V. Ὅμηρος.
(13) Meurſ. in Notis ad Heſych. Mil.
(14) Vell. libr. 1. cap. 5.
(15) Can. Iconogr. n. XCII.
(16) Bell. Imag. Ill. P. III. n. 73.
(17) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. pag. 85.
(18) Can. ibi. n. XCIII.
(19) Gron. ibi.
(20) Menag. Hiſt. Mulier. philoſoph. in ASPASIA.
(21) Cauſ. Muſ. Rom. Tab. VII.
(22) Haym Theſaur. Brit. Vol. 1. pag. 189.

CLEOPATRA. LVII.

Binas hujus ultimæ Ægypti reginæ ſtatuas habemus, pulcherrimam alteram in Vaticanis ædibus adſervatam in fine ambulacri ante Bibliothecam, alteram inter plurima Mediceæ Familiæ ſtatuas, quæ Romanorum hortorum ejuſdem Familiæ maximum ſunt ornamentum. Præterea multa exſtant numiſmata cum ejus capite apud Angelonum, Triſtanum, Caninium, Vaillantum, alioſque harum rerum ſcriptores, quamobrem dicendum eſt, certiſſimam nos habere effigiem illuſtris hujus mulieris, atque cum his monumentis conferendum eſt noſtrum marmor ipſis ſimillimum. Auguſtinus, cæterique nominati ſub hac Tab. LVII. referunt plures gemmas cum effigie Cleopatræ; at non omnes uniformes, adeo ut certæ non ſint. Conſule Maffejum (1) in ſuis Obſervationibus ad Gemmas antiquas Auguſtini. De hujus reginæ forma loquitur Plutarchus (2), nec eam ait fuiſſe adeo egregiam, ut obſtupefaceret ſpectatores, ſed aliis rationibus fuiſſe ſummopere amabilem. Videſis Reuſchium ad gemmas Ebermayeri num. CCLXXIX.

SAPPHO. LVIII. ET LX.

Faber (3) edidit argenteum majoris moduli nummum, qui erat penes Cardinalem Farneſium, cum effigie hujus celebris Vatis, cuſum a Mytilenæis in honorem ſuæ civis, cum ſæpia in parte averſa, & litteris ΜΥΤΙΛ. Hujus honoris a Mytilenæis illi habiti meminit quoque Pollux (4). Laudatus nummus ſimilis erat duabus gemmis penes Urſinum, at facies harum non convenit cum noſtris Hermis, qui ſimiliores ſunt alteri (5) integro, cui in trunco adeſt hæc inſcriptio ΣΑΠΦΩ ΕΡΕΣΙΑ, ut refert Bellorius, qui eum ſumpſit ex delineatione a Pyrrho Ligorio in quodam Codice Bibliothecæ Vaticanæ expreſſa. Hæc duo capita noſtri Muſei valde ſimilia ſunt carneolæ Auguſtini illuſtratæ a Maffejo (6), qui notat hoc formæ diſcrimen, ornatumque capitis, putans ex hoc fieri potuiſſe, quod duæ ejuſdem nominis vates fuerint. Certiſſimum tamen eſt, hos noſtros Hermas repræſentare eamdem feminam, quum ſimillima ſit concinnatio capillorum, venuſta quidem, & rara. Conſule duas gemmas Muſei Florentini (7), quarum prima ſimilis eſt nummo edito a Fabro, altera parum differt a noſtris προτομαῖς. In Capitolio plurimis ab hinc annis alterum caput hujus vatis, nomine ſubſcripto, adſervatur. Ipſa de ſe fatetur apud Ovidium pulchritudine minime fuiſſe præditam:

Si mihi difficilis FORMAM *Natura* NEGAVIT:
Ingenio FORMAE DAMNA *rependo meæ*.
Sum brevis: at nomen, quod terras impleat omnes,
Eſt mihi: menſuram nominis ipſa fero.
Candida non ſum &c.

Quæ quamvis ab Ovidio confiſta ſint ex ingenio, attamen credendum eſt, communem famam, vel potius auctoritatem veterum ſcriptorum eſſe ſequutum. Dum hæc typis mandantur BENEDICTUS XIV. P. M. Hermam hujus mulieris in Capitolium invexit, qui operis excellentia duos in his tabulis LVIII. & LX. delineatos, quamvis excellentes, longe ſuperat. Is vero repertus eſt in villa Tiburtina Imperatoris Hadriani.

ARISTOMACHUS. LIX.

Celebris fuit Ariſtomachus, quod totos quinquaginta octo annos naturam, apumque ingenium inveſtigaverit, teſte Plinio (8); quamobrem venuſtam carneolam Sunderlandi, in qua cælatus erat ſenex philoſophus ferè nudus, tantummodo aliqua parte pallio tectus, & cogitabundus, fulciens caput dextera, intentus conſiderationi non-

(1) Maff. Gemm. antiq. T. I. n. 76.
(2) Plutarch. in Vit. Anton. p. 927.
(3) Fabr. Imag. Ill. vir. n. 139.
(4) Poll. libr. 9. ſegm. 84.
(5) Bell. Ill. Poët. Imag. P. II. n. 63.
(6) Maff. Gemm. antiq. T. I. n. 70.
(7) Muſ. Flor. Tom. I. Tab. XLIII. n. 8. & 9.
(8) Plin. Hiſt. nat. lib. XI. cap. 9. & libr. 13. cap. 24.

nonnullarum apum pervolantium circa alveare, putarunt Auguſtinius, & Maffejus (1), atque Bellorius (2) repræſentaſſe Ariſtomachum. At vero Gronovius, (3) utrum Silenus foret, dubitavit, eamque ſingularem opinionem probare nititur quibuſdam Ovidii verſibus, (4) ſed quantum ponderis illa habeat, & an in veterum monimentorum interpretatione majorem fidem mereatur Batavus ille, an tres principes eruditorum, qui vitam ſemper Romæ degerunt in his rebus exquirendis, conſiderandis, & dijudicandis, aliorum eſto judicium. Huic noſtræ προτομῇ impoſitum eſt nomen Ariſtomachi ob ſimilitudinem ad laudatam carneolam. Notandum auctorem ſermonis decimiquinti ad fratres Heremi, quem adſcripſere B. Auguſtino, appellare imprudenter hunc philoſophum Ariſtodemum.

LEODAMAS. LXI.

FUlvius Urſinus, & ex ipſo Gallæus exhibet Hermam, qui erat in ædibus Ducis Aquæ Spartæ cum literis ΔΑΜΑΣ. Faber autem Leodamantem excellentem Rhetorem, in illo repræſentari cenſuit, quod caput ſimile eſſet alteri in diaſpro viridi cum inſcriptione integra ΛΕΩΔΑΜΑΣ, quo cum conjunctum erat caput cujuſdam juvenis, quem Faber ſuſpicatur Æſchinem eſſe ejus diſcipulum. Urſinus hæſitat dubius, an legendum eſſet *Leodamas*, an *Alcidamas*, fuit enim etiam hic & vetus, & celebris Rhetor a Cicerone memoratus (5). Verum marmore diligenter perſpecto tres in eo potius litteras vetuſtate corroſas evanuiſſe autumat, quam quatuor, at adeo cautus ſententiam aperit ſuam, ut Gronovius (6) ſtupens ſcripſerit: *Vides* HÆSITATIONEM *viri optimi*, *&* *magno cum* PUDORE, *ac* MODERATIONE CONIECTANTIS, tantum abeſt, ut crediderit, fuiſſe Urſino animum decipiendi quemquam, audaciſſimumque fuiſſe Antiquarium, ut recentior quidam putavit. Idem Gronovius arbitratur, hoc nomen integrum eſſe, & ſimpliciter legendum ΔΑΜΑΣ, nomen apud Græcos uſitatum, ut probat exemplis inſcriptionum, & nummorum, & forte contractum ex *Damatrio*, aut *Demetrio*, non ſecus ac contracta ſunt, *Menas*, *Epaphas*, *Nymphas*, *&* *Hermas*. Præter exempla Gronovii videnda, quæ affert Senator Bonarrothius (7) immortalis memoriæ vir *De vitris antiquis Chriſtianorum*, & præcipue inſcriptiones duas, Græcam alteram, alteram vero Latinam, quas ille primus edidit. Ceterum præter Rhetorem Leodamantam fuit etiam Leodamas præceptor Pythagoræ, & alius quoque Leodamas geometra, cujus meminit Laërtius, quare licet in dicta προτομῇ legendum fuerit *Leodamas*, incertum eſt, cui ex tot inluſtribus viris tribuenda ſit. In noſtra legitur *Leodemas*, quod idem eſt.

EURIPIDES. LXII.

VAldè differunt vultus duarum προτομῶν, quæ putantur repræſentare excellentiſſimum hunc Græcum tragicum. Alteram refert Fulvius Urſinus (8) nomine cælato in pectore, & ſimilis eſt illi, quæ exſtat in Muſeo Magni Ducis Etruriæ, & huic Capitolinæ. Ea προτομή, edita ab Urſino, erat penes Cardinalem Carpenſem eruta ex thermis Titi, ut tunc ferebatur. Barbæ tamen forma, & labii ſuperioris longiores pili, inuſitato apud veteres more, valdè ſuſpectam eam reddunt. Altera eſt illa edita a Gallæo, (9) quæ exiſtebat penes Cardinalem Farneſium nomine pectori inſcripto ΕΥΡΙΠΙΔΙΣ, quam ego modo reperi in ædibus Farneſianis, ſed ſcriptura, quum ſit mendoſa, ſcribendum namque erat ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ, ſuſpicionem movet recentem eſſe. Hæc προτομὴ tecta humeros pallio, non eſt inſtar Hermæ, ut eſt alia edita a Bellorio (10), quæ erat in bibliotheca Cardinalis Camilli de Maximis, ac denique pervenit ad Gaſparem de Haro Oratorem Regis Hiſpaniarum apud Venerabilem Innocentium XI., & valde a Farneſiana differt, veluti

(1) Maff. Gem. antiq. Tab. I. n. 57.
(2) Bellor. Imag. Ill. P. I. n. 6. in Dian. Epheſ. Tab. VII.
(3) Gron. Antiq. Græc. vol. 2. n. 75.
(4) Ovid. Faſt. libr. 3. v. 745.
(5) Cic. Tuſc. libr. 1.
(6) Gronov. vol. 2. Antiq. Græc. n. 74.
(7) Bonarr. Oſſer. Vitr. Ant. pag. 135. & ſeqq.
(8) Ful. Urſin. P. 2. n. 27.
(9) Gall. Imag. n. 70.
(10) Bellor. Imag. Ill. P. II. n. 48.

luti hoc noſtrum etiam caput, quod aliæque ſuperius nominatæ imagines immane quantum differunt a ſarda illa, quam inter gemmas Ebermayeri refert n. CCCXLII. Reuſchius abſque ullo barbæ veſtigio.

LYSIAS. LXIII. ET LXIV.

HUjus eximii Græci Oratoris Fulvius Urſinus duo exhibet capita, alterum pallio circa collum aliquantulum obvoluto, alterum impoſitum Hermæ, & utrumque nomen ſubſcriptum habet. Primum addit Bellorius (1) fuiſſe penes Cardinalem Farneſium, alterum in bibliotheca ipſius Urſini, qui in prima parte num. 7. alterum edidit, quod erat penes Horatium Victorium. Faber quoque, ſeu Gallæus, qui illud delineavit, & graphio in aere ſculpſit, affert caput, quod erat penes dictum Cardinalem; at neſcio, cur illud exhibuerit in vertice calvum, de quo arguitur etiam a Gronovio (2). Duobus ex his capitibus inſcriptum erat ΛΥΣΙΑΣ, ut etiam in προτομῇ Tab. XXXI., at ſcriptura illa recentior ſane eſt. In Herma capite trunco apud Urſinum (3), ipſumque Bellorium ſcriptum erat ΛΥΣΙΑΣ ΚΕΦΑΛΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Magno in pretio ex hac ratione habendus eſt noſter Herma, qui quum integer ſit, nomen inſcriptum habet non additum ex alio Herma, neque in ſuſpicionem adducit, recenti manu eſſe ſcriptum, nam evidens eſt caracterum antiquitas. Non intelligo quid ſibi velit Reuſchius, qui poſtquam verba Gronovii adduxit, quibus reprehendit Gallæum, quod Lyſiæ faciem repræſentaverit crinium ornamento deſtitutam, nobis gemmam obtrudit n. 343. in qua dicit Lyſiæ vultum cælatum eſſe, at omnino calvum.

ISOCRATES. LXV.

Προτομὴ ſuaviſſimi hujus Oratoris exſtabat in Muſeo Magni Ducis Hetruriæ, ætateque Urſini erat (4) in villa Cardinalis Medicei prope villam Papæ Julii; ſed exiſtit nunc Florentiæ cum hac inſcriptione:

ΙϹΟΚΡΑΤΗϹ
ΘΕΟΔΩΡΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟϹ

De hac Faber ait (5): *Caput non præſefert ætatem nonaginta novem, aut centum annorum.* At contra Bellorius (6) de eadem: *Effigies longiſſimam ejus ætatem repræſentat, ut qui ad centum penè annos perveniſſe memoratur.* Plutarchus (7) narrat Timotheum Cononis curaſſe conflandam æream ſtatuam hujus ſui præceptoris a Leochare cælatore, idemque feciſſe Aphareum filium ejus adoptivum. De ſtatua Iſocratis Attica meminit Pauſanias in deſcriptione templi Jovis Olympii (8). Infirmæ valetudinis fuit, teſte eodem Plutarcho (9). Omnia bellè convenirent; ſed novimus ex præfatione Fulvii Urſini προτομῇ Florentinæ, non ſecus ac Ariſtophanis, Heracliti, & Carneadis Hermis abſciſſum fuiſſe caput, aliudque illis impoſitum, quod ingenue faſſus eſt Urſinus, ne falſa pro veris obtruderet. Huic ſimillima eſt altera reperta hoc anno, dum æquaretur ſolum ante novam porticum Sanctæ Mariæ Majoris. Primo repertum eſt caput, dumque cælaretur truncus, cui imponeretur, non procul inde inventus hic quoque eſt, qui probè connecti poterat cum ipſo capite, uti factum eſt, atque inde inlatum in noſtrum Muſeum juſſu Pont. Max. BENEDICTI XIV.

CA-

(1) Bell. Imag. Ill. P. III. n. 84.
(2) Gron. Tab. II. n. 69. Antiq. Græc.
(3) Gall. Imag. ill. n 85.
(4) Fulv. Urſin. Ill. vir. P. I. n. 10.
(5) Fabr. Comm. ad Ill. vir. Imag. n. 76.
(6) Bell. Imag. Ill. P. III. n. 82.
(7) Plut. in vita X. Orat. cap. 4.
(8) Pauſ. libr. I. cap. 18.
(9) Plut. ibid.

CAPUT INCOGNITUM. LXVI.

EX noſtra ſententia licet incognitum ſit, quis nam repræſentetur hac προτομὴ, putantibus tamen aliis eam repræſentare M. Mettium Epaphroditum libertum M. Mettii, qui floruit Cæſare dictatore, aut aliquem ex ejus filiis, nos profecto hoc loci noluimus hanc opinionem præterire. Fulvius Urſinus (1) refert marmoream ſtatuam hujus Grammatici, quæ erat penes Balthaſſarem Albertonum cum hac inſcriptione:

M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRÆCVS
M. METTIVS GERMANVS FEC.

Laudatus Urſinus in ectypo dictæ ſtatuæ ſubſcribenda curavit hæc verba: *Mettius Epaphroditus Chæroneus M. Mettii libertus, & Archiæ grammatici alumnus, floruit Nerone, & Nerva Romæ imperantibus, quibus temporibus Ptolemæus quoque Hephæſtion, aliique multi claruerunt. Suidas autem Modeſto Ægypti Præfecto ſerviſſe Epaphroditum ſcribit, niſi, ut plerumque fit, erratum ſit a Græco librario in eo nomine. Studioſus librorum fuiſſe Mettium ex eodem colligimus Suida, & ad triginta millia voluminum emiſſe. Multis autem relictis ſcriptis morbo aquæ intercuti periiſſe. Epaphroditus in libro de elementis citatur Ms., qui apud me eſt, Theocriti interprete. Sed qui a Suida, & Theocriti Scholiaſte adducitur Epaphroditus, ſit ne is, cujus ſtatuam è marmore imprimendam curavimus, pro certo non affirmarim.* Gruterus (2) citat hanc ſtatuam penes Palutios propè Capitolium, at ætate Bellorii (3) erat penes principem Angelum Alterium. Quod ad membrorum magnitudinem, quadraret noſtræ προτομῆ deſcriptio Suidæ: (4) Τὸ δὲ σῶμα ἦν μέγας τε, καὶ μέλας ὡς ἐλεφαντώδης; *erat corpore grandi, & fuſco inſtar elephantis*. Celebris eſt Metius Grammaticus, & ſæpe laudatur a Scholiaſte Ariſtophanis, Theocriti, & Æſchili, & ab Euſtathio, & in Etymologico Magno in V. Γάργαρος, & alibi, & a Suida in V. Νῶροψ.

HERODOTUS. LXVII.

CArdinali Cæſio (5) erat Herma duplex, ex altera parte Thucydidem, ex altera Herodotum referens, nomenque in pectore inſcriptum habens, quem publicavit Urſinus. Fides ei, ut videtur, habenda; citat enim alterum eodem modo ſculptum, fatetur tamen caput additum fuiſſe, quod Thucydidem potius repræſentabat. Hic noſter Herma ſimilis ſane eſt ei, quem habebat Cardinalis Cæſius.

THUCYDIDES. LXVIII.

IDeo tantummodo putandum, hoc caput eſſe imaginem magni hujus Hiſtorici, quod valdè ſimile ſit προτομῆ relatæ a Bellorio (6) ex Fulvio Urſino cum nomine Græco in ea cælato. Faber (7) dicit: *Ejus imago in ſchola Conſtantinopolitana a Chriſtodulo Poeta celebratur, & extat hodie in corniola artificioſiſſimè cælata*. Herma Urſini (8) duplex erat, altera parte Herodotum, altera Thucydidem exprimebat, ut diximus, & erat penes Cardinalem Cæſium.

PY-

(1) Fulv. Urſin. Ill. Vir. P. II. n. 91.
(2) Grut. Inſcrip. pag. 653. n. 3.
(3) Bell. Imag. Ill. P. I. pag. 7.
(4) Suidas in V. Ἐπαφρόδιτος.
(5) Fulv. Urſin. Ill. Vir. P. I. n. 3., & P. II. n. 87.
(6) Bell. Imag. Ill. Vir. P. 3. n. 89.
(7) Fabr. Comm. in Imag. Ill. n. 144.
(8) Fulv. Urſin. P. I. n. 3., & P. II. n. 82.

PYTHODORIS. LXXIII.

PLato in Parmenide inducit colloquentem Pythodorum Zenonis ſodalem. Duo prætérea Pythodori ſtatuarii nominantur a Plinio. (1) Strabo autem (2) Pythodorum alterum memorat patrem cujuſdam Ponti reginæ nomine Pythodoris. Itidem B. Gregorius Nazianzenus Pythodorum quemdam philoſophum nominat (3). De Pythodoro plura dici nequeunt, quam adnotavimus ſub hac tabula. Jacobus Sponius (4), qui primus edidit Hermam hunc ſingularem, integer eſt enim, & nulla compage commiſſus, hæc narrat: *Iſte quis nam fuerit, non mihi conſtat. Videtur ſanè orator, poëta, vel dux aliquis Epheſius fuiſſe, quod ejus caput corona lauri ſit redimitum, advēctumque ſit hoc marmor ab Epheſo urbe, curante quondam D. Fouquier Maſſilienſi, Smyrnæ mercaturam exercente.* Gronovius (5), & quidem jure, ſuſpicatur, hunc eſſe aliquem ex victoribus *in agone ſacro, vel coronario*, quum habeat caput ornatum magno diademate. Hoc Maſſilia Romam afferendum curavit inſigne marmor Cardinalis Alexander Albanus, hujuſmodi antiquitatum amator, & deinde invectum eſt in Muſeum Capitolinum.

MASSINISSA REX NUMIDIÆ. LXXVII., ET LXXVIII.

INter gemmas antiquas Auguſtini (6) adeſt ametyſtus cum imagine hujus Regis. Ille autem in argumentum ſimilitudinis ejus imaginis, quamdam advocat carneolam rariſſimam Familiæ Barberinæ, in qua conſpicitur Maſſiniſſa ſedens, & ante ipſum tres filii, quorum duo virgam frangere conantur cum inſcriptione: *Unitas fortis, diviſio fragilis.* Verum hæc inſcriptio minime redolet antiquitatem.

CAPUT INCOGNITUM. LXXIX.

EXimium hoc, majeſtatiſque plenum caput repertum fuit ante hos duos annos, dum aperiretur latiſſima via a Laterana Baſilica ad templum Sanctæ Crucis in Hieruſalem, inlatumque in Capitolium adnuente Summo Pontifice BENEDICTO XIV. qui omni cura, magniſque ſumptibus in dies magis auget copioſiſſimum cæteroquin hoc Muſeum Capitolinum. A quibuſdam antiquarum rerum peritis exiſtimatur repræſentare Carneadem, cujus imaginem habemus Tab. XVII. quia illi ſimile eſt capiti, quod num. 14. P. I. Imag. Ill. vir. dedit Urſinus, & quod nomen cælatum habet. At idem in præfatione monet περιτομὴ illi aliud additum fuiſſe caput, quamobrem non omnino eis aſſentior. Alterum caput æque perfectum, planèque huic ſimillimum eſt penes Comitem Joſephum Fede amatorem, peritumque antiquitatum, ab ipſo effoſſum in villa Hadriani Tiburtina, cujus ipſe partem poſſidet non mediocrem. Verum neque cum Herma Tab. XVI. hic nobis, ni fallimur, videtur convenire.

CA-

(1) Plin. Hiſt. nat. libr. 36. cap. 5.
(2) Strab. libr. 12. pag. 555.
(3) Greg. Naz. Orat. 3. n. 80.
(4) Spon. Miſcell. ſect. IV. pag. 137. edit. Lugd. 1685.
(5) Gron. Antiq. Græc. vol. 3. &c.
(6) Maff. Gemm. antiq. T. I. n. 95.

CAPUT INCOGNITUM. LXXXI.

LIcet in extremitate hujus προτομῆς legatur JANUS IMPERATOR, tamen inter incognitas adnumeravimus, utpote planè diſſimilis omnibus Cæſaribus, quorum certas imagines in nummis habemus. Barba infernè innodata Barbarum aliquem eſſe potius ſuadet. Fabrettus (1) idem putavit, dum ſcripſit de ſimili capite: *Cui unquam ita barbam tondere in mentem venerit, planè ignoramus, & tamen exoticam hujuſmodi formam alicujus inſignis viri propriam fuiſſe neceſſe eſt; talium enim effigie lapides ii ad inſtar Hermarum Athenienſium quadrati ornabantur.* Equidem capillorum innodatorum in vertice capitis exemplum habemus tum in Columna Trajani, tum etiam apud multos veteres auctores. Martialis, aut (2) quiſquis ille ſit, ait:

Crinibus IN NODUM *tortis venere Sicambri,*
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Et Seneca (3) pariter ſcripſit: *Rufus crinis, & coactus* IN NODUM *apud Germanos*, quod repetit in ultima Epiſtola. Et Cornelius Tacitus *De moribus Germanorum* idem adfirmat. At barbæ ita in nodum adſtrictæ nec exemplum, nec auctoritas ulla mihi in mentem venit. In hoc noſtro Muſeo aliud habetur caput cum barba eodem modo concinnata, quod brevitatis gratia omiſimus. Quamobrem ſuſpicor, hæc duo capita avulſa fuiſſe ex ſtatuis duorum Barbarorum captivorum ſuper aliquem arcum triumphalem collocatis, ut videre eſt in arcu Conſtantini, de quo vulgus fabellam commentum eſt de capitibus captivorum a magnifico viro, ut deblaterantur, avulſis, quæ nuper reſtitui curavit Clemens XII. immortalis memoriæ Pontifex vere Maximus, ſed recenti manu excuſa.

CICERO. LXXXII.

PRo aſſerenda veritate imaginis eloquentiſſimi, & doctiſſimi hujus viri, quem Latina lingua jure opponat ſuperbis Græciæ Scriptoribus, plura ſuppetunt argumenta. Leonardus Auguſtinus in explicandis gemmis antiquis mentionem facit de nummo, qui penes Fulvium Urſinum erat, cuſo a Magneſiis, quos Geographi collocant apud montem Sipilum in Aſia Minore, & de capite marmoreo in ædibus Barberinis. Quantum laboraverit Urſinus, ut hunc nummum adipiſceretur, colligitur ex epiſtola Bononia tertio Kalendas Martias a Julio Cæſare Velio ad ipſum miſſa, quæ archetypa adſervatur in Codice 4104. bibliothecæ Vaticanæ pag. 266. in qua legitur: *Scriſſi per quello, che mi ricordavo, che la medaglia di Cicerone (acquiſtata per V. S. con tanta lunghezza di tempo, maturando il negozio col mezzo di tanti amici, e tra gli altri di me, ſe ben debole, e con tanto prezzo, che non mi ricordava da gran tempo in quà aver udito il maggiore in una ſola coſa) era calvo in cima del capo; poi ripenſando, e non eſſendo chiariſſimo di tal calvizio &c.* quod eſt argumentum, quanti haberetur ea ætate hic nummus ab eruditis. Inſcriptio erat ΜΑΡΚΟϹ ΤΥΛΛΙΟϹ ΚΙΚΕΡΩΝ, quæ valdè ſuſpecta eſt, præſertim ob poſtremum nomen. In parte poſtica Civicam coronam habebat. Maffejus (4) in ſuis obſervationibus indicat gemmam penes Franciſcum Ficoronium, multa antiquarum rerum peritia magni faciendum, & celebrem ob multos editos libros, in qua ſcriptum erat M. TVL. Gemmam quoque indicat, quæ fuit apud Chriſtinam Svecorum Reginam; & deinde venit in poteſtatem Principis viri Livii Odeſcalchi, quam inciſam a Petro Sante Bartolo refert Bellorius (5). In hac macer exprimitur, atque ſimilis eſt carneolæ penes Urſinum citatæ a Fabro (6), planeque convenit cum προτομῇ, quæ putatur Ciceronem referre, egregie ſculpta, adſervataque in Muſeo Magni Ducis Etruriæ, licet illic macrior conſpiciatur, quam in prædicta gemma, necnon in ſarda, & achate nigro, qui in Muſeo Ebermayero (7) ſervabantur. Hæc macies reſpondet verbis Plutarchi in ejus vita: (8) Ἦν ὄντως ἰσχνὸς καὶ ἄσαρκος: *Erat quidem macilentus, & exuccus.*

(1) Fabrett. de Col. Trajan. cap. I. pag. 16.
(2) Mart. libr. Spectac. epig. 3.
(3) Sen. de Ira libr. 3. cap. 26.
(4) Maff. Gemm. antiq. T. I. n. LXXI.
(5) Bell. Imag. Ill. P. III. n. 78.
(6) Fabr. Imag. Ill. Vir. lit. R., & n. 146.
(7) Capita Deor. Ebermayer. n. 366. & 367.
(8) Plut. in vit. Cic. pag. 862. edit. Pariſ. 1644.

cus. Et ipſe de ſe loquens: (1) *Erat eo tempore in nobis ſumma* GRACILITAS, *& infirmitas corporis*: *procerum*, *& tenue collum*. Inter veteres ſtatuas (2); quas ære inciſas publici juris fecit Dominicus de Rubeis cum ejuſdem Maffeji notis, eſt etiam ſtatua hujus Oratoris, ſed quum barbata ſit, in dubium revocatur, potiuſque putatur imago alterius Romani Patricii. Sponius quoque (3) ait, in Capitolio Ciceronis ſtatuam fuiſſe. Octavius Ferrarius, quum vidiſſet ſtatuam togatam in Ducali Palatio Veneto, hæſitavit, & jure, an Ciceronis eſſet, quin immo eam putavit illuſtris alterius Oratoris (4): *Altera ſtatua togata viſitur in atrio Palatii Veneti &c. fortaſſè Ciceronis*; *certè Oratoris*, *quod libelli in dextera indicant*, *& libellorum theca ad pedes ſtatuæ*. At eum reprehendit Gronovius in præfatione editionis operum Tullii, de qua infra loquemur, dicens: *Etiam Octavius Ferrarius in principio operis De re Veſtiaria*, *contemplatus ſtatuam togatam*, *quæ viſitur in atrio Palatii Veneti*, *temerè decurrit ad conjecturam de Cicerone*, *ideo ſcilicet*, *quod Oratoris ſtatuam eſſe libelli in dextera* (*ubi voluit ſcribere*, *& innuere*: *in ſiniſtra*) *indicent*, *& libellorum theca ad pedes ſtatuæ*, *quam quidem thecam aſpici poſſe*, *& haberi non opinor*. Vereor ne quoque Gronovius, dum Ferrarium caſtigare vult, bis peccet: primum, quia non adverterit cælatores obverſas figuras incidere graphidi, ac delineationi, quamobrem ſi in figura ære inciſa volumen eſt in ſiniſtra, patet ſtatuam illud dextra tenere; ſecundò, quod neget adeſſe poſſe thecam ad capienda volumina, quum tot exſtent ſtatuæ, quæ ipſam ad pedes habent. Certum eſt Ciceronis ævo vulgo non conſueviſſe barbam nutriri, & nulla capita, quæ ipſum repræſentare creduntur, promiſſam barbam habent. Etiam Beza (5) ex imaginibus Ciceronis probare nititur, tunc temporis barbam radere Romanos conſueviſſe. In villa Matthæjorum exſtat quoque ϖροτομὴ marmorea Ciceronis aliquantum reſtaurata; at pinguem illum exprimit, ut Hermæ Capitolini, & Florentini Muſei (6); ideoque Gorius certò non adfirmat, ſed ſolum *facile credit*, illa duo capita vera eſſe, uti quoque ϖροτομὴν relatam ab Urſino, quæ eadem eſt, atque illa Villæ Matthæjorum, & deinde ſubdit ipſam etiam convenire (7) *cum gemma nobiliſſima a Dioſcoride ſcalptorum præſtantiſſimo inciſa Tab. XXVII. apud Cl. Philippum de Stoſch*, *in qua*, *ut ipſe auctor mihi dicebat*, *non Mæcenatis*, *ſed ejuſdem Ciceronis effigiem exhiberi multis rationum momentis oſtendet in ſecundis curis ad gemmas antiquas cælatas*, *ſcalptorum nominibus inſignitas*, *quas edidit*, *qui etiam huic longè ſimillimam aliam marmoream protomam obſervare fecit in veſtibulo Regii Muſei Medicei* diverſam a laudata effigie, quæ gracilis eſt, & ſimillimam nummo Urſini, gemmis Auguſtini, & Reginæ Svecorum. At fortaſſe tum effigies, quæ macilentum, tum quæ pinguem exhibent, ſimiles fuerunt Ciceroni; ipſe namque monet, ſe antea gracilem, inde labentibus annis pinguem, robuſtumque fuiſſe. Quanto autem in honore a Græcis ipſe, fraterque habiti fuerint, Faber oſtendit; unde veriſimile fit in ejus honore cuſos fuiſſe nummos, at non inde infertur, relatum ſuperius genuinum eſſe. Ipſemet in Oratione in Piſonem adfirmat, (8) a Capuanis auratam ſtatuam ſibi poſitam fuiſſe; Alexander verò Severus ejus effigiem in ſecundo Larario habuit (9); certum itaque eſt, ſemper, & ubique reverenter cultum fuiſſe.

Gronovius in præfatione ad ſuam Ciceronis editionem Leidenſem anni 1692. 4. protulit effigies hujus magni Oratoris plures, diverſaſque, quas eruit ex variis antiquis monumentis, aut delineatas apud celebres auctores, aut in illuſtribus Muſeis adſervatas. Prima imago numero 1. & 6. ſumpta eſt ex Bellorio, qui eam expreſſit e laudato marmore in villa Matthæjorum in monte Cælio. Hæſitat hic Gronovius, an eadem ſit, ac illa Urſini ad num. 146., quam ipſe citat apud Cyriacum Matthæjum, & Faber ſubdit, adſervari *in hortis Cælianis*; at ſi Gronovius planè hoſpes Romæ non fuiſſet, ne dubitaſſet quidem, etenim eadem omninò eſt. Quæritur certè, & jure, Bellorium quum Urſinus illum calvum expreſſerit, ei affinxiſſe: *Egregiè veſtitum verticem uſque ad ipſam frontem ſuis decentibus adfatim comis*. Secunda num. 2. ſumpta eſt ex laudata carneola Urſini, & Fabri, ſed aliquantum vultus forma differt; tertia vero num. 3. ex appendice Fabri ad literam R, ubi monet expreſſam fuiſſe ex nummo prædicto. Gronovius adfirmat, ſibi videri hunc nummum quammaximè ad vivum repræſentare (10), *ipſum faciei*, *& ætatis conſtantis florem &c.*

(1) Cic. in Bruto circa finem pag. 17. edit. Lugdun. Bat. 1692.
(2) *Stat. Antiche* n. XXI.
(3) Spon. Voyag. T. I. pag. 302.
(4) Octav. Ferr. De re veſt. libr. 1. cap. 1.
(5) Bezi in epiſt. 1. S. Pauli ad Corinth. cap. XI. v. 14.
(6) Muſ. Flor. Tab. XLI. T. 1. n. 2. & 3.
(7) Ibi Tab. XLI.
(8) In edit. ad uſum Delph. T. III. pag. 220.
(9) Lamprid. in vit. Alexand. Sev. cap. 31.
(10) Gronov. Antiq. Græc. Vol. VIII.

&c. in qua ſe excellenter mihi offert ille acer , & defixus adſpectus , quem libr. 3. ad Herennium cap. 15. *poſtulat, quamque mox acrimoniam, cui tamen pudor jungatur , appellat.* Hic nummus adeo placuit Andreæ Scotto, ut eum præfixerit quæſtionibus Tullianis editis anno 1610. a Moreto, inſcriptione tamen mutata. Idem inſertus fuit pag. 153. editioni L. Flori Græviana, at peſſimè deformatus. Nihilominus nummus ſemper dubiæ fidei erit. Quartam num. 4. mutuatus eſt Gronovius ex Triſtano, qui T. 2. pag. 429. de Magneſiis Aſiaticis loquens, eumdem refert nummum, ejuſque partem averſam a Fabro omiſſam, licet diligenter explicatam. Facies tamen hujus capitis multum differt a nummo Urſini. Quinta eadem eſt, ac illa poſita num. 6. & relata a Fabro num. 146. Sexta ex obſervationibus Gabrielis Simeonis pag. 68. ſumpta, qui eam expreſſit ex carneola reperta Fani Fortunæ. At cum ex lignea forma fuerit ectypa imago, nihil ſimilitudinis cum præcedente haberi ex ea poteſt. Septima num. 8. ex Muſeo Palatino num. 71. cælata in ſardonyche, ſed ſuſpecta fuit Gronovio, quod faciem ſenis, capillos autem juvenis, ut ipſe ait, haberet. Adfert denique num. 10. nummum, cui licet magni facto a Lambecio, & præfixo editioni Grevianæ Epiſtolarum ad familiares, jure notam falſi inurit, & probabiliter ejuſdem generis eſt, ac nummus Urſini. At doctiſſimus Antonius Auguſtinus nummos Ciceronis, (1) & Marii, & Pompeji, & Catonis ſe dicit poſſidere, qui facile ab omnibus agnoſcebantur, quales eſſent, quod valdè differant ab antiquis Romanis, & Græcis. Urſinus quoque deinde idem ſenſit in opere Familiarum Romanarum. His omnibus imaginibus addi poteſt gemma Muſei Alterii in Tab. XXII. Muſei Romani, quæ incertam pariter effigiem præſefert, & caput marmoreum apud Aldrovandum de Statuis antiquis pag. 223. quod erat in ædibus Cæſarinis cum cicere ſuper naſum.

PTOLEMÆUS REX ÆGYPTI.

LXXXIII.

INter nummos Electoris Brandemburgenſis editos a Laurentio Begero (2), unus in altera parte habet caput Ptolemæi cum cæſarie cincinnata, ut habetur in hac προτομῇ: Begerus tamen, non decernit, quiſnam ſit ex tot Ptolemæis. Itaque dicam cum ipſo: *Mihi tutius videtur rem in incerto relinquere.* Si tamen alicui referendum eſſet, referri poſſet, ut ex vultus ſpecie adparet, Ptolemæo Apioni in gemma apud Maffejum (3) expreſſo, ac apud Ebermayerum (4), necnon in carneola ſcitiſſima, quæ penes me exſtat in annulo meo ſignatorio, cujus ectypum hic adponere volui ære inciſum. Crines habet calamiſtratos, ut mos erat Ægyptiis. Vide etiam ejus nummum apud Vaillantem omnino huic noſtræ gemmæ ſimilem.



BAC-

(1) Ant. Auguſ. Dialog. xi. pag. 292. edit. Romæ 1736.

(2) Berger. T. III. pag. 34. Theſ. Brandemb.

(3) Maff. Gemm. antiqu. T. I. n. 94.

(4) Capita Deor. Eberm. n. 283. & 284.

BACCHUS, LXXXIV, ET LXXXVII.

REpræſentant hi duo Hermæ celebrem Jovis, & Semeles filium, facie venuſti juvenis, quum de ipſo in Ovidio legatur: (1)

..... Tibi enim inconſumpta juventa eſt,
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris Cœlo.

Et in Faſtis (2) reddit cauſam, cur in ludis Liberalibus adoleſcentes prætextam deponerent, Bacchum ipſum ſic adloquens:

Sive quod ipſe puer ſemper, juveniſque videris,
Et media eſt ætas inter utrumque tibi.

Et Tibullus magnificè cecinit: (3)

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa.

Et Diodorus (4) eum appellat ὡραιὸν, καὶ ζυφερὸν, καὶ νέον: *pulchrum, delicatum, & juvenem*: ut potius formam haberet puellæ, ut cecinit Poëta: (5)

Trahitque Bacchum virginis tener formam.

Ipſe quidem Diodorus eum vocat διμορφον, quod interdum expreſſus fuerit barbatus, ut videtur in nummis. Sed hic erat Bacchus vetuſtior, temporibus enim vetuſtiſſimis mos erat gerere barbam. Macrobius: (6) *Liberi Patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt; præterea barbata facie; ſenili quoque, uti Græci*. Hæc duo capita coronata ſunt pampinis. Sic Athenæus (7) teſtatur in ſua deſcriptione pompæ Bacchi, ejus ſtatuam eſſe coronatam aureis frondibus vitis, & hederæ; quin etiam cetera inſtrumenta ad eam pertinentia, & ad illud feſtum Bacchanale innexa erant pampinis, hederaque. Et Albricius (8) ſic deſcribit ejus imaginem: *Erat enim imago ſua facie muliebri, pectore nudo &c.* VITIBUSQUE CORONATO. Herma integer, homine altior, artificio excellentiſſimo, repertus pariter in villa Hadriani Tiburtina, eſt penes Dominum Comitem Fede, cujus caput ſimillimum huic eſt, coronatumque pariter pampinis.

CAPUT INCOGNITUM, LXXXVIII.

HAnc προτομὴν multi putarunt Architæ Tarentino ſimilem, quod non valde diſcrepet ab imaginibus hujus Philoſophi, quas refert Bellorius (9), & a gemmis antiquis Auguſtini (10), & Maffeji (11) & quæ in Theſauro Britannico ſunt. (12) Meminit Faber nummi ærei (13) medii moduli cuſi a Tarentinis cum capite hujus Philoſophi, & quibuſdam notis in una parte, in altera verò cum piſce, qui erat urbis Tarèntinæ, utpote maritimæ, inſigne. Carneolam quoque innuit, in qua præter caput conſpiciebatur cubus, & cylindrus, quæ duo ſolida ab ipſo mathematica inſtrumenta appellata, reperta eſſe ab Archita adfirmat, Diogenem Laërtium in teſtimonium adducens. Sed hæc nec dici poſſunt inſtrumenta, nec ab Archita inventa fuere, nec Laërtius unquam hoc dicit. Sed tantummodo ex ſectione (14) dimidii cylindri inveſtigaſſe duas medias proportionales ad cubi duplicationem, quam ipſe primus omnium invenit, teſtibus Platone in Republica, & Vitruvio (15). Citat quoque numiſma argenteum Fulvii Urſini, in quo erat caput huic ſimile cum literis TAPAC, ſed dubitat, an ſit conditoris Taranti hoc nomine vocati, an vero Architæ imago. Verum animo propendet, ut credat potius hujus Philoſophi eſſe, ex ſimilitudine cum dicta carneola, & nummo æreo. In Theſauro Britannico idem nummus, ac ille citatus a Fabro habet piſcem ſquatinam, ex altera parte monogramma ab ipſo interpretatum APC. Similis nummus argenteus refertur inter nummos Familiæ Proculejæ, cujus capite Vaillantus putat repræſen-

(1) Ovid. Metam. libr. 4. v. 17.
(2) Idem Faſt. libr. 3. v. 773.
( ) Tib. libr. 1. el. 4.
(4) Diod. Sicul. libr. 4. pag. 149.
(5) Priap. carm. 36.
(6) Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18.
(7) Athen. libr. 5. cap. 7. pag. 200.
(8) Albric. de Deor. Imag. cap. 19. inter Mythol. Lat.
(9) Bell. Imag. Ill. Vir. P. 1. n. 4.
(10) Auguſt. Gemm. n. 47.
(11) Maffe. Gemm. Antiq. T. 1. n. 58.
(12) Haym. Theſ. Brit. Vol. 1. pag. 137.
(13) Fab. Ill. Vir. Imag. n 27.
(14) Laërt. libr. 8. Segm. 83. in Archit.
(15) Vitruv. libr. 9. cap. 3.

ſentari Neptunum. Monogramma tamen, & facies ipſa movent ſuſpicionem eſſe potius Architam. Deeſt inſuper Neptuni tridens. In Muſeo Mediceo (1) reperitur caput huic ſimile in gemma inciſum, de quo V. Cl. Gorius ait: *Capilli veluti in orbem circumquaque reducti, ac ſurſum conſerti (quo etiam cultu ornatum eſt Platonis caput, aliorumque philoſophorum, & Anacreontis Poëtæ in ſequenti gemma) lanea, ut arbitror, corona conſtringitur.* Hæc ϖροτομὴ circa caput habet pannum laneum in orbem reductum ferè ſimilem cidari Orientalium populorum. Hic ornatus *Stroppus* appellabatur, teſte Feſto: (2) STROPPUS *eſt, ut Attejus Philologus exiſtimat, quod Græcè ϛρόφιον vocatur.* Quem Prudentius (3) *tortam infulam* appellat, eruditi contendunt eſſe *ſtroppum*, quem Cuperus ita definit: (4) *Sunt igitur ſtroppi, & Strophia diademata tortilia.* Huic ſtroppo fortaſſe adluſit Iſidorus (5) dicens: *Infula autem plerumque tortilis de albo, & cocco.* Idem Feſtus teſtatur, hunc eſſe ſacerdotum ornatum, & Prudentius Virginum Veſtalium. Utebantur eo etiam alii, docente Cupero, & philoſophi quoque, quod ad rem noſtram adtinet, quum in noſtro Muſeo conſpiciatur non ſolum hoc caput, ſed etiam Apollonii Tyanæi, aliorumque ſic ornatum. Cuperi hæc ſunt verba: *Empedocles apud Heſychium Mileſium gerit* ϛρόφιον χρυσȣ̃ν, *ſtrophium aureum, quod Suidas tamen* στέμμα *appellat; in nummo quoque Patiniani theſauri, Regis, vel Jovis caput &c. ſtroppo ornatum occurrit, non ſecus ac Seuthis Thracis in alio apud Seguinum.* Veteres artifices ita poëtarum capita ornarunt, utpote Muſarum ſacerdotum, qualem ſemet vocat Horatius. (6) Ita etiam ornabantur philoſophi, ſapienteſque viri, tanquam initiati ſacris naturæ occultiſſimis, & quaſi Reges aliorum hominum ex Stoicorum ſententia, eodem (7) Poëta canente: *Dives, qui ſapiens eſt, & ſutor bonus, & ſolus formoſus, & eſt Rex.* Attamen inter capita incognita hoc adnumeravimus, licet tanta adpareat ſimilitudo cum Archita, ut cautiſſimè ageremus, atque oſtendamus nos, nec fucum facere cuiquam, nec audacter nimis judicare velle. Gronovius (8) refert quoque ſtatuam hujus Philoſophi per Gevartium deſcriptam, qui gemmam Urſini indicat.

ARCHIMEDES. LXXXIX.

HOc anaglyptum marmor reperit Præſul Bianchinius, ob doctrinam, probitatemque omni laude major. Tantam ex hoc voluptatem cepit, quantam Tullius (9) ſepulchro ejus reperto. Ex ſolo nomine adnotato, non autem ex alio argumento Archimedes reputatus fuit. Hoc caput differt a duobus, quæ ſunt apud Parutam in Tabb. LVIII., & CLXII. inſertis etiam in Theſauro antiquitatum Sicularum, collecto a Burmanno. Simile potius eſt capiti, quod eſt in nummo, qui erat Principis Buteræ, relato in eadem Tab. CLXII. Hoc ultimum barbatum, duo prima imberbia adparent, licet in animadverſionibus veluti barba ornata incurioſe deſcribantur. Tres tamen hi nummi falſi habentur. Maffejus (10) refert carneolam Franciſci Ficoronii huic capiti diſſimilem, in qua Archimedem repræſentari autumat, ſed nullum adfert argumentum, cur gemma hæc antiqua, & ſimilis ſit Archimedi; tantummodo notas quaſdam adjecit de vita hujus Mathematicorum principis. Eruditiſſimus Comes Joh. Maria Mazzuchellius (11), cujus ſcripta laudi ſunt noſtræ Italiæ, in vita Archimedis refert tres hos nummos, deque ipſis prudenter diſſerit, atque eos perpendit, quidquid dicant Majerus, Gronovius, Bonannus, & Avercampus. Verumtamen eruditi conveniunt, tres nummos Parutæ, ut plures illius operis, falſos eſſe, quod brevi oſtendet eruditus Pater Pancratius in editione nummorum Siciliæ. Carneola adducta a Maffejo recens erat, at noſtrum marmor anaglyptum vetus eſt, & repræſentat omnino aliquem philoſophum, aut poëtam, quem aliqui Homerum putant. Nihil officit nomen inſcriptum in eo, nam Ficoronius mihi ſanctiſſime juravit illud ſuperadditum recenter a Nicolao Corona lapicida ad arcum Carbognani, ut pretioſiorem redderet hanc imaginem, quod etiam adparet ex litterarum forma. Ex illo ad Præſulem Bianchinium, inde ad Eminentiſſimum Cardinalem Alexandrum Albanium, tandem in hoc Muſeum venit.

(1) Muſ. Flor. T. I. Tab. XLI. n. XI.
(2) Feſt. in v. STROPPUS.
(3) Pruden. contra Symmach. libr. 2. v. 1085.
(4) Cuper. Apotheoſ. Homer. pag. 138.
(5) Iſidor. libr. 19. Orig. cap. 30.
(6) Horat. Od. 1. libr. 3.
(7) Idem libr. 1. ſat. 3. & libr. 1. epiſt. 1.
(8) Gron. Antiq. Græc. Vol. 2. n. 49.
(9) Cic. libr. 5. Tuſc.
(10) Maff. Gem. antiq. n. 73.
(11) Mazzuch. in Vit. Arch. §. XXVII.

ZENO ELEATES. XC.

FAber, Bellorius, & nonnulli magni nominis, multæque eruditionis viri putarunt hunc eſſe Zenonem ſectæ Stoicæ auctorem. Meditationis, aut memoriæ lapſus, qui nobis invitis occurrunt, nec derideri debent, nec aliorum exiſtimationem imminuere, neque qui tales nævos in gravibus auctoribus detegit, ſtatim pluris illis ſe æſtimet, nec putet ſe admirationem in aliis excitare, quod tantorum virorum ſcripta carpſerit (1).

Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim.

Zeno igitur Cyticus duxit familiam Stoicorum teſte Diogene Laërtio (2). Hic Zeno collo erat obtorto, ut dicit Timotheus Athenienſis, & erat (addit Apollonius Tyrus) gracilis, & corpore parvus; crura tumentia, debilia, & infirma habebat. Quare patet hanc ſtatuam non hujus philoſophi, ſed Eleatis fuiſſe, qui grandi, & venuſta fuit ſtatura, teſte Platone: Εὐμήκη δὲ καὶ χαρίεντα ἰδεῖν, quare Apulejus (3) eum appellat *longè decoroſiſſimum.* Indutus eſt pallio, philoſophorum veſte communi, ſed abſque tunica, & ad nudam carnem. Antiſthenes Stoicorum princeps abjecit tunicam, & duplicavit pallium, ut narrat Diocles, (4) & docuit idem facere Diogenem. Laërtius vero (5), & S. Hieronymus (6) tribuunt pallii duplicationem Diogeni, quibus Horatius concinit: (7)

Contra quem duplici panno patientia velat,
Mirabor &c.

Sed Tertullianus hunc morem adſcripſit (8) Crateti, & fortè fuit in more plurium philoſophorum. Verba Tertulliani hæc ſunt: *Pallio nihil expeditius, etiamſi* DUPLEX, *quod* CRATETIS *more nuſquam veſtiendo componitur.*

Bellorius ſumpſit imaginem Zenonis ex marmore Fulvii Urſini, quod nomen inciſum habebat in trunco Hermæ, cujus caput nunc eſt in ædibus Farneſianis. Sed quum Zeno Eleates inventor fuerit Logicæ, ut ex Ariſtotele (9), Sexto Empirico (10), Laërtio (11), Suida (12), nec non formæ Dialogi, ut ex eodem Laërtio patet (13), licet Athenæus tribuat Dialogi commentum (14) Alexameno Tejo; præterea quum inſignem animi conſtantiam contra Tyrannum Clearcum ad miraculum uſque oſtenderit, hunc putandum eſt, honoris gratia ſculptum fuiſſe; ceteri namque Zenones a Laërtio relati, obſcuri ſunt præter Cyticum, cui Athenæus refert ſimulacrum æneum poſitum fuiſſe. (15) Sed hunc jam oſtendimus repræſentari hac ſtatua non poſſe, ob notabile diſcrimen formæ corporis a veteribus auctoribus deſcriptæ; ſed fortaſſe illius προτομὴ eſt ea, quæ exſtat in ædibus Farneſianis, & in libro Bellorii. In fine hujus tomi adpoſuimus hanc ſtatuam, licet ſtatuis peculiarem tomum deſtinaverimus, ſed hoc egimus, quia philoſophum repræſentat, ut pleræque hæ προτομαὶ, & quia in Ædibus Capitolinis collocata eſt in eodem conclavi, quo hæ omnes adſervantur.

IN-

(1) Horat. Art. Poët. verſ. xi.
(2) Laërt. libr. 7. ſegm. 5.
(3) Apul. Apol. 1. pag. 406. edit. ad uſum Delph.
(4) Diocles apud Laërt. libr. 6. ſegm. 6.
(5) Laërt. libr. 6. ſegm. 13.
(6) S. Hieronym. contra Jovin. libr. 2.
(7) Horat. Epiſt. 17. libr. 1. v. 25.
(8) Tertull. de Pallio cap. 5.
(9) Ariſt. apud Laërt. libr. 9. ſegm. 25.
(10) Sext. Empir. contra Mathem. libr. 7. pag. 193.
(11) Laërt. in procem. ſegm. 18.
(12) Suidas in v. Ζήνων Τελευταγόρου.
(13) Laërt. libr. 3. ſegm. 47.
(14) Athen. libr. xi. cap. 15. pag. 505. Edit. Lugdun. 1612.
(15) Idem libr. 4. cap. 17.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

AEliani epigrammata in Homerum . p. 29.
Aeſchines an magiſter Leodamantis . p. 33.
Agatho poëta tragicus, pag. 11. comicus alter. ibidem. Eorum ætas. ibidem. comicus Socratis diſcipulus. ibid. tragicus qua facie fuerit. ibid. Agatho hiſtoricus. p. 11. fidicen. p. 12. alter qui Sympoſium elucubravit. p. 12. philoſophus Pythagoricus. p. 11.
Agriculturam docuit Mago. p. 21.
Albanus Cardinalis Alexander. p. 20. 21. 36.
Alcibiadis Hermæ. p. 14. Alcibiades pulcher, & amabilis. ib. barbam nutrit. ib. eum pinxit Polignotus. ibid. ſub Cupidinis forma ſculptus. ibid. Nicerates illum excudit. p. 15. ejus imagines ad vivum expreſſæ. p. 15. ejus juventus illuſtrior ſenectute Apollonii Tyanæi. p. 28.
Alcidamas rhetor an ejus imaginem habeamus. p. 33.
Alexamenus Tejus Dialogorum inventor. p. 42.
Alexander Severus imaginem Ciceronis habuit in ſuo Larario. p. 38. & Apollonii Tyanæi. p. 28.
Almageſtus Ptolemæi a Theone illuſtratus. p. 21.
Anacreontis effigies in nummis, & geminis. pag. 25. moritur ætate confectus. ib. epigramma Græcum in ipſum. ibid. ejus ſimulacrum. ib. an vinoſus eſſet. ibid. ſobrius ab Athenæo creditus. p. 26. ſapiens a Socrate dictus. p. 26.
Andocides Hermas comminuit. p. 6.
Antiqua monumenta illuſtrantes defenduntur a calumniis. p. 10. 33. 34. 42.
Antiſthenes Cynicorum auctor. p. 20. pallium duplicavit. p. 42. tunicam abjecit. ib.
Apollonius Tyanæus impoſtor. p. 28. ejus nummi. ibid. ſtatuæ, & templa. ib. ejus imaginem in ſuo Larario habebat Alexander Severus. ibid. Herculis exuviis ornatus. ibid. gemmæ, & marmora ejus effigiem referentia. ibid. quotidie anulum mutabat. ibid. pro Juliano Apoſtata ſumitur. ib. diutiſſime vixit, ſed viridi ſenectute, & quæ Alcibiadis juventute magis celebrabatur. ibid. a Domitiano contumelia affectus. ibid. barbam nutriebat. ibid. Aureliano apparuit, qui ex ejus imaginibus eum cognovit. ibid.
Apulejus Madaurenſis. pag. 8. quando vixerit. ibid. pulcher. ibid. Græce, & Latine eruditus. ibid. promiſſa coma. ibid. ejus nummi. ibid. ejus imagines marmoreæ, & in gemmis. ib. ſtatuam ab Oenſibus ſibi poni poſtulat. ib.
Architæ Tarentini imago. p. 40. nummi in ejus honorem cuſi. ibid. duplicavit cubum. p. 40. ejus ſimulacrum. p. 41.
Arati nummus. p. 26. ejus ſepulcrum. ibid. variæ ejus imagines. ibid. ubi repertæ. p. 27.
Archimedis imago an vera. p. 41. nummi ejus ſuppoſiti. ibid.
Arcus Conſtantini. V. CONSTANTINI *arcus*.
Ariſtides orator tempore Antoninorum. p. 15. ejus ſimulacrum in bibliotheca Vaticana. ib.
Ariſtomachus ſcripſit de apibus. p. 32. ejus in gemma effigies. ibid. Ariſtodemus dictus, ſed male. p. 33.
Ariſtophanes comicus, p. 23. ejus Herma Tibure effoſſus. ib. an ſuppoſitus. ibid. an calvus. ib. ejus carmina perpenſa. ibid.
Ariſtotelis imago ubi reperta. p. 10. domi ſuæ eam habebat Atticus. ibid. brevi coma. p. 11. cauſa ejus cum Platone diſſidii. ibid. in veſtibus expolitus. ibid. ejus effigies in templo a Theophraſto collocata. ib. ejus corporis habitudo a Laërtio deſcripta. ibid.
Aſclepiadis philoſophi patria. p. 9. ejus magiſter. ibid. quando vixerit. ibid. cæcus. ibid. medicus laudatus. ibid. eloquentia pollens. ib. alter tempore Trajani. ibid.
Aſpaſia docuit Socratem, & Periclem. p. 31. ejus imago ſuppoſita. ibid.
Athenienſes Hermis primum uſi. p. 1. viris illuſtribus eos poſuerunt. p. 2. 6. in ipſis inſcriptiones excudebant. p. 7.
Atticus ubi domum haberet. p. 10. in ea imaginem Ariſtotelis ſervabat. ibid.
Averanius Benedictus notatus. p. 2. vertere in Latinum cogitabat Ptolemæi Almageſtum, & Theonis in eum commentarium. p. 21.
Auguſti nummus cum Platonis effigie. p. 18. diſſertatio Patini in hunc nummum. ibid.
Aureliano apparuit Apollonius Tyanæus. p. 28.

B

BAcchus formoſus. p. 40. juvenis. ibid. antiquus barba promiſſa. ibid. & ſenex. ibid.
Barbam nutriebant Pythagorici. p. 28. in nodum torta apud Barbaros. p. 37. in uſu erat antiquiſſimis temporibus barbam nutrire. p. 40. tempore Ciceronis radebatur. p. 38. eam radere vitio datur. p. 11.
Bellorius defenſus. p. 10. notatus. p. 7. 11. 13. 38.
BENEDICTUS XIV. auget Muſeum Capitolinum. p. 1. 12. 18. 34. 36. & bibliothecam Vaticanam. 27.
Bianchinius Præſul laudatus. p. 41.
Bibliotheca Laurentiana. p. 21. Vaticana. p. 15. 27.
Bibliothecæ Hermis ornatæ. p. 3.
Bonarrothius Senator laudatus. p. 33. & alibi.
Bucolica Virgilii in ſcena recitabantur. p. 8.
Bulliardus Iſmaël Theona illuſtravit. p. 21.

C

CAeſarinus Cardinalis Legatus ad Concilium Florentinum. p. 18.
Caligula imagines Virgilii abolere voluit. p. 9.
Calvities probro habita. p. 16.
Calvus an fuerit Ariſtophanes. p. 23. ſignificat aliquando pauperem, & ſtultum. ibid. S. Paulus calvus fuit. ibid. ex hoc Eupolis deriſus. ibid.
Cancelli quid ſignificent. p. 4.
Capillos in nodum colligatos Barbari gerebant. p. 37.
Carneadis imagines. p. 15. cum ejus nomine inſcripto ſuper veſtem. ibid. diu vixit. ibid. ejus

INDEX RERUM NOTABILIUM.

ejus Athenis imago. ibid. a Laërtio deſcripta. ibid. ejus Herma repertus prope Lateranum. p. 36. & in villa Hadriani Tiburtina. p. 15.

Caſſiodoro lux adfertur. p. 4.

Cicero Hermas e Græcia adducit. p. 3. his multum delectabatur. ibid. ejus imagines variæ ad trutinam revocantur, p. 37. 38. & 39. ejus ætate barbam radebant Romani. p. 38. ejus ſimulacra. p. 38. Alexander Severus in ſuo Lario ejus effigiem habebat. ibid. ejus nummi an ſuppoſiti. p. 39.

Circus, & in eo Hermæ, p. 4.

Clemens XII. Muſeum Capitolinum adornavit primus, p. 1. 15.

Cleopatræ effigies, nummi, & ſimulacra, pag. 32.

Coloccius Angelus laudatus. p. 15.

Corſiniorum in ædibus Hermæ. p. 4. 17.

Crates pallium duplicavit ex Tertulliani ſententia, p. 42.

Cryſippi Stoici effigies cum pallio, p. 26.

Cynici pallium duplicabant, & qua de cauſa, p. 20. Antiſthenes hujus ſectæ auctor. 42.

D

DÆdalus ſtatuas ſe moventes feciſſe dicitur. p. 1. cui comparatas a Platone. p. 2.

Damas nomen contractum. p. 33.

Dantes poëta. p. 6.

Democritus, ejuſque effigies, p. 13. ſemper ridebat. ibid. ultra centum annos vixit. ibid. ore clauſo effingebatur. ibid.

Diogenis imagines. p. 20. cum pallio, quod primus duplicavit, & cur. ibid. & 42. ejus ſimulacrum cum cane. p. 20. ubi repertum. ibid. barba comante ſculptus. ibid.

Domitianus necem Junio Ruſtico intulit. p. 19.

E

EClogæ Vergilii in ſcena recitabantur. p. 8.

Epicurus ſæpe ſculptus. p. 12. ejus imagines, & ſimulacrum. p. 12. 13. 22.

Ἑρμοκοπίδαι Hermarum fractores dicti. p. 7.

Eupolis, quod calvus eſſet, ludibrio habitus. p. 23.

Euripidis imagines. p. 33. 34. una ex his in Muſeo Magni Ducis Etruriæ. ibid. altera reperta in Thermis Titi. ibid. altera in domo Maximorum, ibid. ſuſpiciones de his imaginibus. ibid.

F

FAber Johannes medicus Bambergenſis. p. 8. notatus. p. 15. 34. 40.

Fabrettus Raphaël notatus. p. 31.

Ficoronius Franciſcus laudatus. p. 30.

Fulvius Andreas. p. 15.

G

GAllæus a Gronovio notatus. p. 26.

Gambara poëta Brixianus. p. 29.

Gorius laudatus. p. 9. 24. 41.

Gronovius arguit Bellorium. p. 11. Pythagoræ imaginem deſcripſit. p. 22. notatur. p. 21. 38.

Grotius Hugo vertit Latine Græcum epigramma. p. 29.

Guter Jacobus notatus. p. 7.

H

HAdriani Imperatoris villa. p. 36. 40.

Haym Epicuri imaginem refert cum cornu. p. 12.

Heracliti imago ſuppoſita. p. 13. variæ ejus imagines. ibid. varii hoc nomine appellati. ibid. ejus ſectatores quomodo vocarentur. ibid. ſemper lugens. ibid. obſcurus, ut e vultu appareret. ibid. oculis clauſis effictus. ibid.

Heraclitei ſectatores Heracliti. p. 13.

Herma aliquando ſtolidum ſignificat. p. 2. vir brachiis detruncatus. ibid. Mercurii. p. 5. Minervæ. ibid. Apollinis, Veneris, aliorumque Numinum. p. 5. 6. 7. Virorum illuſtrium. p. 6.

Hermæ confracti. p. 6. 7. quomodo dicti, qui eos frangebant. ibid. Hermæ quanti faciendi. ibid. Capitolini unde eruti. p. 7. quid deſignent, & quomodo a Græcis nominati. p. 1. 2. 6. inſtar phallorum. p. 2. in alias figuras efformati. ibid. ubi collocati. ibid. & 3. ab Athenienſibus originem ducunt. p. 1. 2. in eis inſcriptiones. p. 5. 7. ab Hipparcho poſiti. p. 3. 6. nonnulli habent capita, quæ amoveri poſſunt. p. 5. Cicero eos e Græcia adducit. p. 3. eorum uſus. ibid. cur cavi in lateribus. p. 4. aliquando veſtiti p. 5. duo valde peculiares in ædibus Corſiniorum Romæ. p. 4. 5. Æliæ Patrophilæ. pag. 5. ibid. capite æreo. ibidem. coronabantur. ibidem. varia eorum nomina. pag. 6. Alcibiadis. ibidem. & 7. Platonis. p. 7. Cimonis. ibid. Ptolemæi, ſeu Bacchi. p. 6. confracti ab Andocide. p. 6. eorum ingens numerus. 3. 6. Xenocratis. p. 6. Theonis, Homeri, Ariſtotelis, Thucydidis, Herodoti, Themiſtoclis. ibid. Iſocratis cum epigraphe. p. 7.

Hermeracles hujus Muſei ære inciſus. p. 5. 6.

Herodoti effigies perpenditur. p. 35.

Heſiodi imagines, & ſtatuæ. p. 27. cur Aſcræus dictus, quum eſſet Cumanus. ibid. diutiſſime vixit, ibid. occiſus fuit. ibid. adagium e ſua ſenectute factum. ibid.

Hieron Syracuſarum rex. p. 22. ejus effigies cum epigraphe. ibid. ejus nummus. ib. a Pindaro cur laudatus. ibid. ſtatuæ illi poſitæ. p. 23. ejus ſimulacri mentionem fecit Theocritus. ib. gracili corpore. ibid. pulcher, & magni animi. p. 23. ejus Herma in Capitolio poſitus multis abhinc annis. ibid.

Hipparchus multos Hermas poſuit. p. 3. 6.

Hippocratis nummi. p. 16. viginti circiter hoc nomine dicti. ibid. Hippocrates Cous calvus, & æger. ibid. quomodo effictus. ibid. cur pileus illi adjectus. ibid.

Homerus cur pictus a Galatone vomens. p. 29. nummi Chii, & Smyrnenſes cum ejus effigie. p. 30. non fuit Chius. ibid. ejus ſimulacra. ibid.

ibid. Æliani epigrammeta in ipſum. p. 29. minutiſſima ejus imaginis deſcriptio. ibid. caput ejus marmoreum ubi repertum, ibid. cur cum diademate. p. 31. quæ imagines fictæ, & quæ veræ. p. 30. Aſinius Pollio ex ingenio imaginem ejus effinxit. ibid. ſimulacrum exſtabat tempore Juſtiniani. ibid. a Cedreno deſcribitur diligentiſſime. ibid. Carpocratiani ejus imaginem penes ſe habebant. p. 31.

I

Jebb Samuel vitam Ariſtidis ſcripſit. p. 16. notatus. ibid.

Iſocrates, ejuſque imagines. p. 34. diutiſſime vixit. ibid. ejus ſimulacra. ibid. Timotheus ejus diſcipulus. ibid. Aſareus ejus filius adoptivus. ibid. valetudinarius. ibid.

L

Lares Viales. p. 3.

Leodamas rhetor, ejuſque imagines. p. 33. magiſter Æſchinis. ibid. alius magiſter Pythagoræ. ibid. alius geometra. ibid.

Limitatio quid ſignificet. p. 4.

Lyſiæ imagines. p. 34. cum epigraphe, ſed recenti. ibid.

M

Madaura urbs Numidiæ Apuleji patria. p. 8.

Mago Carthaginienſis, ejuſque opera. p. 21. eorum ſynopſim Diophanes confecit. ib. Dionyſius Græce vertit. ibid. ejus dudum credita imago ad Epicurum ſpectat. ibid.

e Maximorum domo multi Hermæ evecti. p. 19. 33.

Maſſiniſſæ imagines. p. 36.

Mediceorum familia immortalis memoriæ. p. 32.

Mercurius τετράγλωχιν dictus. p. 1. cur ejus ſtatuæ quadratæ. ibid. & 2. 5. ſuperpoſitæ ſepulchris. p. 3. quomodo excuſæ. p. 2. hujus rei ratio. ibid. Mercurii Herma cum pene. p. 2. Mercurius Viacus p. 3. & Σωκός, quaſi domorum cuſtos. ibid. & Januarius. ibid. & Στροφαῖος. ibid. Hermæ Mercurii veſtiti. p. 4.

Metatio quid ſignificet. p. 4.

Metrodorus Epicuri diſcipulus, ejuſque imago. p. 12. 22. ubi, & quando reperta. p. 12.

Metius Epaphroditus, ejuſque imago. p. 35. epigraphe ad eum attinens. ibid. ejus ſimulacrum cujus eſſet, & ubi ſit. ibid. ejus vita. ibid.

Muſeum Capitolinum quis primus ornarit. Præfat. & p. 1.

N

Nomina detruncata. p. 33.

P

Paleſtræ Hermis ornatæ. p. 3.

Pallium philoſophorum erat. p. 20. Antiſtenes, aut Diogenes, aut Crates duplicavit. p. 20. cur duplicarent Cynici. p. 20. veſtis expedita. p. 20. cum eo caput operitur. p. 16.

S. Paulus ut calvus ſubſannatur. p. 23.

Penthelicus lapis qualis. p. 5.

Perizonius Jacobus notatus. p. 11.

Perſius laudatus. p. 25. ejus imago. ibid.

Pileus quid ſignificet. p. 16.

Pindari ſtatua deſcribitur. p. 24. magni fiebat ab ipſo laudari. ibid. aliis committebat odas ſuas canere. ibid. ejus variæ imagines. ibid.

Pythodoris nomen multorum illuſtrium virorum. p. 34. ejus imago ab Epheſo adducta. ibid. coronata. ibid.

Pythagoræ imago. p. 22. in nummo Commodi, & Sami. ibid. cur e patria profugus. ibid. macie confectus. ibid. impoſtor. ibid. parcus cibi. p. 22. an inedia mortuus. ibid. ejus effigies a Gronovio deſcripta. ibid.

Pythagorici barbam alebant. p. 28.

Philemon comicus, ejuſque effigies. p. 26.

Platonis vultus trux, & melancolicus. p. 18. diadema tribuit Homero. p. 17. ſtatuas Dædali ſimiles dicit falſis opinionibus. p. 2. ejus imagines. p. 17. 18. diſſidium cum Ariſtotele. p. 17. Plato dicitur a pectoris latitudine. p. 17. dictus Ariſtocles. ibid. de ejus nomine variæ ſententiæ. ibid. innumeræ ejus imagines. p. 18. divinus appellatur. p. 17. ejus ſimulacrum in Academia poſitum. ibid. an quæ ejus imagines putantur, ſint Jovis. p. 17. verus ejus Herma. p. 17. ejus effigies in nummo Auguſti. p. 18. Patini diſſertatio in hunc nummum. p. 18. effigies in gemma. p. 18. variæ ejus imagines. p. 18.

Plutarchus non bene intellectus. p. 6.

Poetæ Satyrici hedera coronati. p. 25.

Poſſidonius Alexandrinus. p. 12. alter Ciceronis magiſter. ibid. quæ ad ejus vitam ſpectant. ibid.

Pyrrhus Ligorius, ejuſque ſcripta. p. 27.

S

Sadoletus Cardinalis laudatus. p. 25.

Salvinius Homerum vertit. p. 31.

Sappho, ejuſque nummus. pag. 32. effigies in gemma. ibid. delineatus in bibliothecæ Vaticanæ Codice. ibid. duæ mulieres poeticæ arte illuſtres. ibid. orta eſt Mitilene. ibid.

Senecæ imagines, & ſtatua. p. 17. æger. ibid. vultu deformi. ibid. Caligula eum occidere meditabatur. ibid.

Sepulcra Hermis ornata. p. 3.

Silanion ſimulacrum Platonis excudit. p. 17.

Socratis variæ imagines. p. 13. Socrates deformis ſimilis Sileno. p. 14. ab Ariſtophane irriſus. p. 14. larvæ, quæ eum repræſentant. p. 14. effigies ejus in gemmis Baſilidianis. ib. canus. ib. Xenophon illum deformem fuiſſe dicit. ibid. ejus ſimulacrum æreum dicit Tertullianus. ib. antiqua pictura in vinculis eum repræſentat. ib.

ſimul cum Platone in gemma. ibid.
Solon prohibet nimium ſepulcrorum ornatum. p. 3.
Spanhemius Ezechiel notatus. p. 5. & 6.
Statuæ primæ quomodo excuſæ. p. 1. Dædali movebantur. p. 2. cui comparatæ a Platone. p. 2. Mercurii quadrata forma. p. 1. 2. Platonis in Academia, & in villa Ciceronis. p. 17.
Statius exponitur. p. 4.
Stoicorum caput p. 41.
Stroppus quid ſit. p.41. ornamentum ſacerdotum, & Veſtalium. ibid.
Suidas notatus. p. 11.

T

TAranti inſigne. p. 40.
Tenia ornamentum capitis Homeri, Virgilii &c. p. 31.
Thaletis imago. pag. 21. multi hoc nomine vocati. ibid. Mileſius primus e ſeptem Sapientibus. ibid. quando vixerit. ibid. an ejus imago legitima. ibid.
Theophraſtus imaginem Ariſtotelis in templo quodam poſuit. p. 11. ejus imago. p. 19.
Theonis nomine multi appellati. p.21. Smirnæus creditur. ibid. ejus ſcripta. ib. ejus Herma ex Maſſilia adductus. p. 21.
Terentius comicus ſtatura mediocri, gracilis, & fuſcus. p. 24. ejus effigies picta in Codice Vaticano, ibid. Gronovius eam improbat, quia barbata. ibid. ejus nummus an legitimus. ib.
Tertullianus notatus. p. 14.
Τετράγωνος ἀνὴρ quid ſignificet. p. 6.
Thucidides male interpretatus. p. 1. ejus effigies. p. 35.

V

VAticana bibliotheca. p. 15. 24. 32. V. *Bibliotheca*.
Venuti Rudolphini laus. p. 31.
Villa Hadriani. V. *Hadrianus*.
Virgilius, & ejus nummus. p.8. Plato poëtarum dictus. p.8. Alexander Severus ejus imaginem habuit in ſuo Larario. p.8. lauro coronatus. ibid. effigies in gemma. ibid. cum larva e conſpectu. ibid. facie, & moribus verecundus. p. 9. ejus ſimulacrum. ibid. ejus imagines in antiquis bibliothecis. ibid. Caligula eas abolere meditabatur. ibid.
Urſinius Fulvius defenſus. p. 10. 33. 34. ejus bibliotheca. p. 13. 34. multos Hermas vidit. p. 2.

Z

ZEno Citicus caput Stoicorum. p. 42. cum Eleate confunditur. ibid. hujus poſtremi ſimulacrum. ibid. formoſus, & procerus. ibid. cum pallio. ibid. ejus imago. ibid. Logicæ inventor, & dialogi. ibid.



Ioſeph Vaſi ſcul.



APVLEIO

Vedi il Bellori Imagin. Ill. Philos. n. 3. Corriſponde alle Medaglie citate quivi dal Bellori, e alla deſcrizione che fà di ſe nell' Apologia


Gio. Domenico Campiglia disegnò *Nicola Billy incise*



VIRGILIO


Vedi il Bellori Imag. Ill. poet. n. 67. che il cavò da una Gemma
Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 68.

Gio. Domco Campiglia del. *P. Ant. Pazzi sc.*



ASCLEPIADE

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*




TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Nicola Billy inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



6

TESTA INCOGNITA

Gio. Dom. Campiglia del *P. Ant. Pazzi ſc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. — *Carlo Gregorj inc.*



ARISTOTELE

Fulv. Ors. e Bellor. Imag. Illuſtr. Philoſophi n. 7.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Nicola Billy inc.*



AGATONE

Poeta tragico, e comico ſcolare di *Socrate*. Plat. nel Convit. e nel Protag. Elian. Var. Iſt. libr. 13. cap. 4. e l. 14. c. 13. Ariſtofane nelle Rane a. 1. ſc. 2. non ſi ha riſcontro ſe queſta ſia la ſua effigie, o d'un altro di ſimil nome


Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Roſsi inc.*



POSSIDONIO


Vedi il Bellor. Im. Ill. Ph. n. 29. porta un busto col nome, ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ che ſi aſsomiglia a queſto noſtro, ma il rappre=ſenta piu' vecchio

Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Roſsi inc.*




EPICVRO
Haym Tes. Britann. Vol. 2. p. 62.

Gio. Domenico Campiglia dis. Carlo Gregori incise



ERACLITO
Vedi il Bell. Im. Ill. Phil. 17. fa vedere un Buſto del G. D. di Toſcana ſomigliantiſsimo al noſtro, e una Gemma n. 18. ma poco ſomigliante. Maff. Gemm. ant. n. 55.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Franceſco Maſsoni inc.*



ERACLITO

Il Bell. Illuſtr. Philos. n. 17. e 18. riporta un Buſto col nome preſso il G. Duca di Toſcana, e una gioia di Fulvio Orſini. Maff. Gemm. ant. n. 55.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



SOCRATE

Cic. de Fato cap. 2. *Zopirus &c. stupidum eſse Socratem dixit, et bardum, quod jugula concava non haberet: obstructas eas partes, et obturatas eſ-se dicebat.* Scoliaſt. d'Ariſtof. Nub. v. 223. *Si dice che nella faccia si aſso-migliasse a un Sileno, poichè era camuso, e calvo.* Luc. Dial. Mort. *Vedi tu quel calvo? dico quel col naso schiacciato*

G. D. Campiglia dis. *G. Rossi inc.*



SOCRATE

Vedi il Bell. Im. Ill. Ph. n. 34. e 35. Vn Buſto è nel Palazzo Farneſe. E quale vi:
en deſcritto da Platone nel Teeteto, e da Senofonte nel Convito. Canini n. 45.
Mus. Rom. 16. Beg. Thes. Brandenb. T. 3. p. 321. Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 53.
Cauſeo Gemm. ant. n. 25. Stoſch Gemm. ant. n. 4.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Nicola Billy inc.*



ALCIBIADE

Elian. Var. Iſtor. l. 12. c. 14. *Amabiliſſimo, e belliſſimo sopra tutti i Greci dicono eſſere ſtato Alcibiade* Plin. l. 34. cap. 6. *Invenio et Pythagorae, et Alcibiadi in cornibus Comitii positas* (Statuas)


Io. Dom. Campiglia del. *P. Ant. Pazzi ſc.*



CARNEADE


Vedi il Bellori num. 10. Lo traſse da un Buſto di marmo del Palazzo Far= neſe col nome. Diogen. Laerz. l. 4. 62. dice che nutrì la chioma

Io Dom. Campiglia del. *P. Ant. Pazzi ſc.*




ARISTIDE
Nella Bibliot. Vatic. è la Statua col nome inciſo nella baſe

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



IPPOCRATE
Vedi il Bell. Imag. Ill. Ph. n. 19. che cavò queſta Imagine da una Gemma, e da una Medaglia


Jo. Dom. Campiglia del. *P. Ant. Pazzi sc.*



SENECA

Vedi il Bell. Im. Ill. Phil. n. 32. Vn Buſto di marmo è preſso il G. D. di Toſcana, Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 59.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



PLATONE.

Spon. Miſcell. Erud. Sect. 4. p. 140. ma diſsomigliante. Bell. Ill. Phil. n. 27. e 28. da un Buſto di marmo, e da una Gemma, ambedue col Diadema, come queſto noſtro. Cauſeo Gemm. ant. n. 27. il Canini al n. 48. Muſ. Rom. 17. Beg. Thes. Brandenb. T. 3. p. 322.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



PLATONE

Sen. epiſt. 58. *Illi nomen latitudo pectoris fecit*

Gio. Domenico Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*



GIUNIO RUSTICO

Vedi il Bell. Imag. Ill. Phil. n. 31. Capitol. in M. Antonin. Philos. *Audivit &c. praecipue Iunium Rusticum, quem et reveritus est, et sectatus: qui domi militiaeque pollebat, Stoicae disciplinae peritiſsimum cum qua omnia communicavit publica privataq. consilia: cui etiam ante Praefectos Praetorio semper osculum dedit; quem et Consulem iterum designavit; cui poſt obitum a Senatu Statuas postulavit.* V. Sveton. in Domit. cap. 10. Plin. l. 1. ep. 5.

Gio. Dom. Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*



TEOFRASTO

Vedi il Bell. Ill. Phil. n. 38. riporta un Buſto, che era pochi anni ſono in Caſa Maſsimi col nome ma non molto ſi raſsomigliava a queſto, e il nome era aggiunto modernamente

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*

25



TESTA INCOGNITA

Si raſsomiglia molto a Magone Cartagineſe, come ſi può vedere in queſto al num. 30.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Roſsi inc.*



MARCO AURELIO ANTONINO

Infinite ſono le Medaglie, e molti i Buſti, e i Simulacri di queſto Imperatore corriſpondenti al preſente Capitol. in M. Antonin. Philoſ. *Sacrilegus iudicatus est, qui ejus Imaginem in sua Domo non haberet*


Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



DIOGENE CINICO

Vedi il Bell. Ill. Phil. 14. e 15. che ci da un Buſto, e una Gemma V. Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 54. Cauſeo Gemm. ant. n. 28.


Io. Dom. Campiglia del. *P. Ant. Pazzi ſc.*



TALETE

Vedi il Bell. Ill. Phil. 37. che riporta un Buſto col nome nel collo

Gio. Domenico Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*




TEONE PLATONICO
Spon. Miſcell. Erud. antiq. Sect. IV. p. 135.

Io. Dom. Campiglia del. P. Ant. Pazzi ſc.



MAGONE CARTAGINESE
Vedi il Bellori Imag. Illuſtr. Philoſ. n. 22. che porta una Gemma di Fulvio Orſini


Gio. Domenico Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*



TESTA INCOGNITA

Il nome di LISIA, ſcolpito in queſto marmo è moderno onde non ſi dee attendere, tanto più, che non ſi raſsomiglia con due buſti del Bell. Ill. Rhet. n. 84. e con quello poſto qui al n. 62.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Roſsi inc.*



PITTAGORA

Il Bell. Ill. Phil. 30. porta una Medaglia di Commodo che era nel Muſeo della Regina di Svezia ſi trova anche in molte Medaglie di Samo, e in una di Nicea in Bitinia preſso il Vaillant Numiſm. Graec.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Papini inciſe*



IERONE RE DI SICILIA

Divenne il più gran Letterato de' ſuoi tempi, come dice Eliano Var. Iſtor. l. 4. c. 15.

Campiglia del. *Gregorj ſculp.*



TESTA INCOGNITA


Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



ARISTOFANE

Un ſimil Buſto è nella Galleria del G. Duca in Firenze col nome, ed è nel Bell. Imag. Ill. Poet. n. 45.

Campiglia del. *Gregorj sc.*



TERENZIO POETA

Queſto buſto è ſimile a una miniatura, che è nel Cod. Vatic. 3868. ma queſta benchè antichiſs.ª è poſteriore a un tal poeta. Vedi l'ediz. di Terenzio fatta in Urbino nel 1736. dove queſta miniatura è riportata con più eſattezza, che nel Bellor. Illuſtr. poet. n. 65.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj inc.*



TERENZIO

Bell. Ill. Poet. 65. da una miniatura antica della Vaticana ma in queſto buſto ſi vede qualche diverſità.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



PINDARO
Bell. Ill. Poet. 59. e il Canini n. 28. da un Buſto del Pnpe. Giuſtiniani

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



A. PERSIO FLACCO

Vedi il Bell. Immag. Ill. Poet. n. 58.

I. D. Campiglia del.

C. Gregori sc.




ANACREONTE

Bell. Ill. Poet. 43. da una medaglia di Fulv. Orſini. Il Canini n. 6. porta una medaglia con l'effigie di queſto Poeta giovane. Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 69.

Gio. Domenico Campiglia dis.


41



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Pietro Parocel inc.*





ARATO


Il.Bell.Ill.poet.n.44. riporta una Medaglia, che era di Fulvio Orſini, battuta dà Solenſi con l'effigie di queſto loro illuſtre concittadino

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ARATO
Coſì vien creduto da alcuni Antiquarj per avere qualche ſimilitudine
coll'antecedente

Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Rossi incise*



ESIODO


Vedi il Bellori Ill. Poet. n. 50. e 51. che porta tre immagini di queſto Poeta, che hanno con queſta qualche raſsomiglianza. Qui è rappreſentato più vecchio, eſsendo egli arrivato a un' età decrepita, V. Eraſm. Adag. Chil. 2. cent. 7. proverb. 61.

Gio. Domenico Campiglia dis. — *Francesco Mazzoni inc.*




TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *M. Antonio Corsi incise*



TESTA INCOGNITA


Gio. Domenico Campiglia dis. Girolamo Rossi incise



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis.


Carlo Gregorj inc.



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomarede inc.*






TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Nicola Gutierez Scu.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Nicola Billy inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*




APPOLLONIO TIANEO

Una medaglia colla teſta di queſto Filoſofo, e Impoſtore celebre era nel muſeo del=
la Regina di Svezia, che ſi può vedere nell Bell. Illuſt. Philoſ. n. 8.

Gio. Domenico Campiglia dis. Carlo Gregorj inc.


53



APOLLONIO TIANEO

Si crede che queſto buſto poſsa rappreſentare queſto Filoſofo Pittago=
rico per eſser ſimile all' antecedente


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



OMERO

Bell. Ill. Poet. 52. e 53. ha un buſto, e alcune medaglie. Agoſt. part. 1. n. 44. ovvero Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 67. Haym Teſ. Brit. Vol. 2. p. 58. Un buſto di bronzo ſimile ha il G. Duca di Toſcana

J. D. Campiglia del. *C. Gregory ſculp.*



OMERO

V. Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. 4. pag. 140. e il Canini, che porta una med. n. 27. ma le loro ſtampe poco ſomigliano queſta. Harduin. Numm. antiq.
Χιων, Σμυρν. Αμαστριαν. Μυριν.

Gio. Domenico Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



TESTA INCOGNITA

Forſe Aſpaſia V. Haym Teſor. Brit. Vol. 1. p. 189.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise.*



CLEOPATRA

Il Canini n. 56. 57. &c. porta alcune medaglie. Beger Theſ. Brandemb. T. 3. p. 33 una medaglia di Cleopatra moglie di Tolomeo Evergete e di Cleopatra di M. Ant. p. 79. e 327. Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 76. 77. e 78. Stoſch Gemm. n. 39. Haym Teſor. Britann. Vol. 1. p. 62. 63. 73. &c.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj inc.*



SAFFO

Maff. Gemm. ant. T. 1. n. 70. Haym. Teſor. Britann. Vol. 1. p. 136. Harduin. Numm. antiq. Λεσβιων. Μυτιλλω

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj inc.*



ARISTOMACO

È creduto, che queſto buſto rappreſenti queſto Filoſofo per la ſomiglianza, che ha con un intaglio portato dal Bellor. Im. Ill. Philos. n. 6. e dal Maffei Gemm. ant. part. 1. n. 53.


Io. Dom. Campiglia del. *P. Ant. Pazzi ſc.*



SAFFO

Bellor. Poet. Ill. n. 63. V. le medaglie de' Mitileni, e una corniola preſso il Maff. Gemm. ant. Parte 1. n. 70.


Gio. Domenico Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



LEODAMANTE

Il Bellor. Illuſtr. Rhet. n. 83. porta un buſto, che ſi aſsomiglia a queſto, in cui ſono ſcolpite le lettere ΔΑΜΑΣ ultime del nome. Cita anche una gemma col nome. Vi fu un Leodamante geometra. Diogen. Laerz. l. 3. 24. e un Maeſtro di Pittagora Apul. Florid. l. 2.


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



EURIPIDE POETA TRAGICO


Un buſto ſimile a queſto è nella Galleria del G. Duca in Firenze pure di marmo bigio come queſto. Somiglia anche una teſta col nome portata dal Bell.o Poet. Ill. n. 49. benchè egli creda che rappreſenti un altro Euripide

Gio. Domenico Campiglia dis. · Nicola Billy inc.



LISIA ORATORE


Gio. Domenico Campiglia dis. *Girolamo Rossi inc.*



LISIA

Bell. Ill. Rhet. 84. porta due buſti col nome, che alquanto ſi raſsomigliano a queſto.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Pietro Paroccel inc.*



ISOCRATE ORATORE
Bellor. Rhet. Ill. 82. un buſto di marmo col nome è in Firenze nel=
la Galleria del G. Duca

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



TESTA INCOGNITA
Vi è chi crede rappreſentare M. Mezio Epafrodito, di cui v. una ſtatua preſso il Bellor. Ill. Rhet. 80.

Gio. Domenico Campiglia dis.
Carlo Gregori inc.



ERODOTO


Vedi il Bell. III. Rhet. 81. che porta un buſto col nome, che è a queſto alquanto raſsomigliante

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise*




TVCIDIDE
Bell. Ill. Rhet. num. 89.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*




TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*




TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis.



TESTA INCOGNITA


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



PITODORIDE


L'Oſmanno nel Leſsico alla V. *Pythodorus* il fa vincitore nello Stadio all' Olimp. 103. il che corriſponderebbe alla corona d'olivo salvatico, di cui par coronata queſta teſta. Ma nell' Olimp. 103. fu vincitore Pitoſtrato, ne' tra gli Olimpionici s' incontra mai Pitodoro, o Pitodoride. V. *Iϛοριῶν συναγωγὴν* dietro all' Euſebio dello Scaligero p. 348. ediz. d'Amſterd. 1658. E Hoſm. Lexic. V. *Pythodorus* poſtremae edition.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomarod inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Pietro Parocel inc.*




TESTA INCOGNITA.

Gio. Domenico Campiglia dis. — *Carlo Gregori inc.*




MASSINISSA RE DE' NUMIDI
Vedi il Maffei Gemm. ant. Tom. 1. n. 95.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Gen: Guttierez Inc:*




MASSINISSA RE DE NUMIDI

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise*




TESTA INCOGNITA
Aggiunta con altre rarità al Muſeo Capitolino dalla Santità di Noſtro Sig.re BENEDETTO XIV. felicemente regnante

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj inc.*



I. Dom Campiglia del. TESTA INCOGNITA C. Gregorj Sculp.



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Pietro Parrocel inc.*



CICERONE

Queſto buſto ſi aſsomiglia con la Statua di Villa Mattei, che ha il nome, e col buſto, che porta il Bell. Ill: Rhet. 77. ma gli Eruditi ſono molto incerti ſe d.^a Statua rappreſenti il famoſo Oratore, e credono più vero il ri= tratto ſuo, che è nel Bell. Ill. Rhet. 78. e nel Maff. Gemm ant. 66. o Agoſt. p. 1. n. 50.

G. D. Campiglia dis. C. Gregori inc.



TOLOMEO RE D' EGITTO

Il Begero T. 3. p. 34. Theſ. Brand. che porta una medaglia molto ſimile a queſto busto, laſcia in dubbia qual ſia queſto Tolomeo. Vedi anche una medaglia preſso il Liebe Goth. Num. cap. XII. p. 393.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomared Inc.*




BACCO

Si rappreſentava giovane. Ovid. Metam. l. 4. v. 17. E. Faſtor. l. 3. v. 773


Sive quod ipse puer semper, iuvenisque videris, Et media eſt aetas inter utrumque tibi

Gio. Domenico Campiglia dis. *Silvestro Pomarede inc.*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. — *Nicola Gutticrez Sculpi'*



TESTA INCOGNITA

Gio. Domenico Campiglia dis. *Nico Gutlierez Scul.*




BACCO

Coronato, talora di foglie di vite. Albricius Philos. inter Mythol. c. 19. Athen. l. 5. c. 7. come ſi vede in queſto buſto con la corona di pampani, e co' lemniſci, che gli ricaſcano ſu le ſpalle

Gio. Domenico Campiglia dis. *Gio. Baſta Sintes inc.*





TESTA INCOGNITA

Forſe è Archita Tarentino. V. il Bell. Ill. Phil. n. 4. e Agoſtin. Gemm. ant. n. 47. o Maff. T. 1. n. 58. Haym Teſ. Britann. Vol. 1. p. 137.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ARCHIMEDE

Il Maſf. Gemm. ant. n. 73. porta una corniola col nome che poco ſi aſsomiglia a queſto baſso rilievo, il quale è ſimile alla medaglia del Paruta Tav. 119. che pare più ſincera

L. Dom. Campiglia del — *P. Ant. Pazzi ſc.*



ZENONE STOICO

Bell. Ill. Philoſ. n. 41. V. un buſto di queſto Filoſofo nel Palazzo Farneſe. Fu di grande, e bella ſtatura come dice Plat. nel Parmenid. e Diog. Laerz. libr. 9. Segm. 25.

Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregorj incise*

MUSEI CAPITOLINI
TOMUS SECUNDUS
AUGUSTORUM, ET AUGUSTARUM
HERMAS CONTINENS

CUM ANIMADVERSIONIBUS ITALICE PRIMUM
NUNC LATINE EDITIS.



ROMÆ CIↃIↃCCL.
Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLO VICTORIO AMADEO

CARDINALI

DE LE LANZE

REGIS SARDINIÆ MAGNO ELEEMOSYNARIO

VIRO PRINCIPI IN BONIS ARTIBUS

AC OMNIUM DISCIPLINARUM GENERE EXIMIO

ET RERUM ECCLESIASTICARUM SCIENTIA

EXCULTISSIMO

LITTERARUM FAUTORI AC VINDICI

ERUDITORUM PATRONO AC ASSERTORI SINGULARI

OMNIBUS VIRTUTIBUS QUA ANIMI QUA MENTIS

ET PRAECIPUE PRUDENTIA, JUSTITIA, MODERATIONE

HONESTATE, TEMPERANTIA, COMITATE

PRAEDITO

VERE HUMANI GENERIS DELICIO

IN ANTIQUAE CLIENTELAE TESTIMONIUM

HUNC MUSEI CAPITOLINI TOMUM II.

JOHANNES BOTTARIUS

D. D.



EPITYNCHANVS.M.AVRELI.CAES.LIB.ET.A.CVBICVLO.FONTIBVS.
ET.NYMPHIS.SANCTISSIMIS.IIIVIVM.EX.VOTO.RESTITVIT.
Da un antico bassorilieuo esistente nel Museo Capitolino

Petr. Fuic. Bart. inc.

ANIMADVERSIONES
JOH. BOTTARII
IN MUSEI CAPITOLINI TOMUM II.

Ex Italica in Latinam linguam translatæ.

NOn alia quidem ex cauſſa, niſi ſtudio quodam, atque ſollicitudine a Natura nobis inſita, & futuræ animorum immortalitatis præſaga, illud acre, vehemenſque deſiderium proficiſcitur, quo ſui commemorationem omnium ſæculorum ſpatio metiri quiſque contendit, quoniam corpora diu fatum declinare non poſſe experientia docemur. Ac profecto rerum ſpecies æternæ ſunt, res vero ſingulæ dilabuntur; cui ſane incommodo multiplici ratione ars, & induſtria opitulari curavit, ſed eâ præſertim, qua effigiem noſtri mandare ſolemus in hominum memoriam. (1) *Imaginum quidem pictura quammaxime ſimiles in ævum propagantur figuræ*, ait Plinius. Itaque primis quoque temporibus humaniores cultu gentes, veluti Græci ac Romani, aut pictura, aut ſculptura, aut ære fuſo imagines ducendi uſum novere. Jure dici poteſt, Amorem, eximium omnium rerum magiſtrum, eam primum artem extudiſſe, (2) quoniam prima puella tractu ſecuta umbram amantis, cui in remotas regiones iter erat, illam in pariete delineavit; tum pater ejus Bibutades Sicyonius in eodem exemplari ſimulacrum argilla formavit. Deinde cum ars perfectionis faſtigium attigiſſet, eo Romæ perventum eſt, ut ſtatuarum numerus infinitam propemodum incolarum copiam longe vinceret; etenim, ut nobiliores domum ſuam avorum ſimulacris decorarent, in more, inſtitutoque poſitum fuit.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum?

cecinit Juvenalis (3); & hoc apud Svetonium ad nobilitatem Balbi Aricini oſtentandam profertur: (4) *Balbus paterna ſtirpe Aricinus multis in familia Senatoriis imaginibus*. Contra vero apud eundem ad Flaviæ gentis humilitatem, ignobilitatemque ſignificandam le-

(1) Plin. Hiſt. libr. 35. cap. 2.
(2) Idem libr. 35. cap. 12.
(3) Juvenal. Sat. 8. v. 1.
(4) Sveton. in Aug. cap. 4.

legimus: (1) *Obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus*. Hæ majorum imagines in domorum atriis collocabantur; ideoque Seneca (2) Lucilium ſuum admonet, quod: *Non facit Nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: animus facit nobilem*. Et alibi (3) pluribus verbis de earundem diſpoſitione diſſerit: *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, non magis quam Nobiles ſunt*. Quod illa Plinii verba illuſtrat (4): *Stemmata lineis diſcurrebant ad imagines*: hinc enim conſtat, quod præclara familiarum facinora, vel ut Dalecampius putat, nomina, tituli, dignitates, & honorum gradus, ad quos evecti fuerant viri clariſſimi, eorum imaginibus intexebantur ad plenius atriorum ornamentum, omnemque familiam per avorum ſeriem proferendam. Ita carminis auctor ad Piſones:

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria?

Præterea maxima imaginum cura gentes univerſas tenuit, quod illæ ſive ſolatio, ſive voluptate quadam animum permulcerent; hinc factum eſt, ut medio ſæculo decimoſexto in tantam lætitiam Romanos conjecerit erutum Homeri marmoreum caput, ut Lælius Capilupius Mantuanus poëta non incelebris octavum Centonem ediderit: *In Homeri marmoreum caput Romæ effoſſum*, quod nunc forte in hoc noſtro Muſeo adſervatur; duo enim hujus poëtæ Hermæ in primo volumine habentur. Itaque noſtra quoque tempeſtate in librorum principio auctoris effigiem præponere ſolemus. Neque nunc demum ea cupido animum hominum cœpit, cum ex Martiale (5) Virgilii quoque poëmata in fronte poëtæ imaginem habuiſſe diſcamus:

Quam brevis immenſum cœpit membrana Maronem!
Illius vultus prima tabella gerit.

Quamquam Domitius Calderinus (6) hujus verſus ſententiam male torqueat, velitque Martialem ſignificaſſe, prioris Eclogæ verbum, quod eſt *Tityrus*, indicare Virgilium. Porro ab ea conſuetudine, qua auctorum vultus ingenii operibus adjungebantur, illa deducta fuit, ut clariſſimorum virorum, atque in litteris principum effigies in bibliothecis appenderentur, cui conſuetudini per Aſinium Pollionem aditus Romæ patuit: & quam Senecæ temporibus vulgo amplecti cœptum eſt (7): *Nunc iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum, in ſpeciem, & cultum parietum comparantur*. Sed Lipſium (8), & Bulengerum (9), aliosque, qui hanc rem multo fuſius ſunt proſecuti, conſulere maxime expediet.

Tamen quorumdam eo procedit audacia, ut curam in colligendis, obſervandiſque veterum ſimulacris carpere, atque illudere conentur; ac ſi, quæ in illis exhiberi dicuntur, ficta, atque commenta ſint. Neque deſunt, qui hujuſmodi ſtudium pro nihilo putent, ſuperſtitioſam induſtriam, levemque appellent, & inanem, ac ſine ulla ratione eruditionem; neque honori cenſent, ut Plinius ſenior (10), habendas imagines; atque ullius intereſſe negant veterum heroum formam animo comprehendere. Adeo verum eſt deeſſe numquam impotentes homines, qui voluptatis expers, & utilitate vacuum affirment quodlibet ſtudium, in quo ſive nequeunt, ſive nolunt ſeſe exercere. Sed homines expoliti, intelligentiaque præſtantes ſumma voluptate veterum Heroum effigies intuentes afficiuntur; ut enim bene, ſciteque inquit Lipſius: (11) *Juvat magnorum ingeniorum etiam habitacula, ut ſic dicam, noviſſe*. Litteris vero addicti lumen, quo auctorum obſcura quæque illuſtrent, ex illis accendunt, quoniam excellentiores artifices ſuorum opificiorum exemplar ab optimis libris deprompſerunt. Nimis notum eſt Euphranorem, & Phidiam, cum Jovis capita fingerent, Homeri verſus eſſe imitatos, ut narrat Euſtathius (12) ex Strabone (13): quin etiam alios quoque veteres artifices, qui multa eruditione pollebant, in picturis, atque ſculpturis celeberrimorum Poëtarum, atque Scriptorum normæ inhæſiſſe putandum eſt. Magnam igitur habebimus gratiam viris, qui *corporis ſimulacra* (ut inquit Cicero) (14) *ignotis nota faciebant*. Et quamvis, quod continenter ſequitur a veritate non abhorreat, *quæ vel ſi nulla ſint, tamen*

(1) Svet. in Veſpaſ. cap. 1.
(2) Senec Epiſt. 44.
(3) Idem de Benefic. libr. 3. cap. 28.
(4) Plin. Hiſtor. libr. 35. cap. 2. Dalecampius ibid.
(5) Martial. libr. 14. epigr. 186.
(6) Domit. Calderin. in Martialem ibid.
(7) Sen. de Tranquillit. cap. 9.
(8) Lipſ. Elect. libr. 1. cap. 29.
(9) Bulenger. de Pictura libr. 1. cap. 18. 19. & 21.
(10) Plin. Hiſt. libr. 35. cap. 2.
(11) Lipſ. Vit. Senec. cap. 9.
(12) Euſt. in libr. 1. Iliad. v. 129. pag. 145. edit. Rom.
(13) Strabo libr. 8. p. 354.
(14) Cic. libr. 5. Ep. 12.

men nihilo ſint obſcuriores clari viri; tamen & ad intelligenda, & ad recognoſcenda monumenta veterum, non mediocris ſunt emolumenti; atque in ipſam morum ſcientiam traducta, aut virtute præditos per impreſſa magnorum virorum veſtigia gloriæ ſtimulis concitant, & impellunt: aut in vitia præcipites meliorum comparatione a facinoribus dehortantur. Quare Plinius (1) imaginum negligentiam negligentiæ virtutis argumentum exiſtimat: *Quoniam animorum imagines non ſunt, negliguntur etiam corporum.*

Falſo autem jactatur, omnes Antiquarios ex libidine lineamenta vultus, ac ſimilitudinem agnoſcere, quoniam peritiores ſententiam ſuam argumentis confirmant; & ſi quis interdum vel de induſtria, vel incuria, vel ignorantia peccavit, non ideo eadem omnibus nota eſt inurenda, neque hoc ſtudium in univerſum contemnendum. Antiqua quædam æra, ac marmora veram, ſinceramque clarorum hominum ſpeciem gerere, multiſque rationibus id oſtendi, Animadverſiones in primum hujus Muſei volumen, ſatis aperte probare poſſe confido; in quo quum contineantur Philoſophorum, & Oratorum ſimulacra, quos illuſtriores ætas antiqua complexa eſt, quidquid ab auctoribus de illorum forma, ac lineamentis excerpere potui, ipſis adjunxi. Illa vero, de quibus non valui, cujus eſſent, certo conſtituere, ignota mihi eſſe non ſum veritus profiteri. Jucundum tamen eſſet aliquem veritatis indicem, ac demonſtratorem aliquando invenire. Ecqua enim voluptate perfunderemur, ſi quis in hactenus ignotum ſimulacrum digitum intendens: hic Cimon eſt, diceret, hic Demoſthenes, hic Menander, ille Fabius Pictor, alter vero Paulus, ille Fabricius integritate, virtute, vel eruditione inſignes? eo magis, quod ob veterum præſtantiam in eorum imagine, quos ſibi ſculpendos pingendoſve proponebant, vere diligenterque exhibenda, nunquam falleret ſimilitudo. Ita cecinit Virgilius (2) de veterum ſculptorum præſtantia:

Excudent alii ſpirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.

Et Statius: (3)

. . . . *Tot ſaxa imitantia vultus,*
Aeraque, tot ſcripto viventes limine ceras
Fixiſti.

Et alibi: (4)

. . . . . *Læto regalia cœtu*
Atria complentur; ſpecies eſt cernere avorum
Cominus, & vivis certantia vultibus aera.

Neque viros tantum aut armorum decore, aut litteris colendos, aut ampliſſimis dignitatibus cumulatos, verum ipſa etiam bruta ad unguem reddidere. Elegans, atque admodum ſcitum eſt illud Martialis epigramma in catellam *Iſſam* nomine, quod hujuſmodi fine concluditur:

Hanc ne lux capiat ſuprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam ſimilem videbis Iſſam,
Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſa.
Iſſam denique pone cum tabella,
Aut utramque putabis eſſe veram,
Aut utramque putabis eſſe pictam.

Tanta denique veteres magiſtri excellentia, atque cura pollebant, ut, quantum fieri poſſet, in animi conſtitutione, ac moribus exprimendis etiam laborarent; quare Plutarchus eruditiſſimus ſcriptor bene de Arato prædicavit: *In ejus quidem ſtatuis athleticum quiddam, ac regium, & quandam prudentiæ ſpeciem deprehendimus.* Idem de Mario ſcripſit: *Nos Ravennæ Marii ſimulacrum marmoreum Gallici operis vidimus, ex quo atrocitas, crudelitaſque ipſius eminebat.* Neque ſolis artificibus ſimilitudo, ſed etiam genere propinquis, atque amicis curæ fuit, quoniam omnium de ſimilitudine judicium eſt, eorum vero maxime, qui eo, quem cælatura referre ſtudebat, familiariter uſi fuere. Ideo operariis aderant, ut ſi quid eſſet corrigendum, admonerent, & laude perfectæ ſimilitudinis compotes fierent. Hinc alter Plinius amicos rogabat: (5) *Ut ſculptorem, ut pictorem, qui filii veſtri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet, ita me quoque for-*

(1) Plin. Hiſt. libr. 35. cap. 2.
(2) Virg. Æn. libr. 6. v. 843.
(3) Stat. Silv. libr. 3. 1. v. 94.
(4) Idem Theb. libr. 2. v. 216.
(5) Plin. libr. 3. Ep. 10.

formate. Utque de ſimilitudine certiores eſſent, olim, ut nunc in vita functis fieri videmus, effigiem e facie ipſa ducebant, cujus rei auctor putatur Lyſiſtratus: *Hominis imaginem gypſo e facie ipſa primus omnium expreſſit, ceraque in eam formam gypſi infuſa emendare inſtituit Lyſiſtratus Sicyonius*; ſcripſit Plinius (1); tanta ſimilitudinis cura erat. Quare hæc ſigna, tabulæque æſtimationem, fidemque habebant maximam, quum ex ingenio expreſſas non eſſe conſtaret. Ideo Cremutius Codrus in quadam concione apud Tacitum (2) de Bruti, & Caſſii ſimulacris inquit: *An illi quidem ſeptuageſimum ante annum perempti, quomodo imaginibus ſuis noſcuntur, quas ne victor quidem abolevit; ſic partem memoriæ apud Scriptores retinent*. Item Plutarchus de Flaminio: *Qualis eſſet illius corporis habitus in imagine ex ære e conſpectu Circi collocata apud magnum Apollinem ex Carthagine translatum quiſque percipiet*; & in Sylla: *Ejus ſtatuæ corporis formam oſtendunt*. Sic Lampridius de Alexandro Severo: (3) *Et erat corporis venuſtate decorus, ut hodieque in picturis, & in ſtatuis videmus*. Aurelianum, cui Apollonius Tyanæus adeſſe viſus eſt, eum ab imaginibus cognoviſſe ex Flavio Vopiſco (4) conſtat: *Norat vultum philoſophi venerabilis Aurelianus, atque in multis ejus imaginem viderat templis*. Immo animadverſione dignum eſt, quod Plutarchus (5) teſtatur, Poſſidonium adfirmare, quoſdam e Brutorum genere ætate ſua antiqui illius Bruti Regum exactoris effigies vultu retuliſſe. Porro Alexandrum Magnum, non omnibus, ſed quibuſdam, pingendi, fingendique ſui copiam feciſſe comperimus, ut poſteritati certior imago traderetur. Horatius enim cecinit: (6)

Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

Cum Horatio convenit Plinius, (7) ubi de Alexandro ſermonem habet: *Idem hic imperator edixit, ne quis ipſum alius, quam Apelles pingeret: quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus ex ære duceret*. (8) Apulejus vero hæc tradit: *Imaginem ſuam, quo certior poſteris proderetur, noluit a multis artificibus vulgo contaminari, ſed edixit univerſo Orbi ſuo, ne quis effigiem Regis temere aſſimilaret ære, colore, cælamine. Quin ſolus eam Polycletus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet. Præter hos tres multo nobiliſſimos in ſuis artificiis, ſi quis uſpiam reperiretur alius ſanctiſſimi imagini Regis manus admolitus, haud ſecus in eum, quam in ſacrilegum vindicaturus. Eo igitur omnium metu factum, ſolus Alexander ut ubique imaginum ſummus eſſet, utque omnibus ſtatuis, & tabulis, & toreumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi herois, eadem forma viridis juventæ, eadem gratia relicinæ frontis cerneretur*. Ubi, quia hic commode intercidit, prætermittendum non eſt, e marmoreis Macedonis illius ſimulacris obſoletum, atque obſcurum illud verbum *relicinam frontem* explanari; ex eis enim apparet nihil aliud ſignificare, quam ob capillos in verticem rejectos, frontem amplam, & apertam. Hac diligentia vultus fortiſſimorum hominum delineandos curare, ſecundum Caſſiodori (9) ſententiam, grati animi officium habebatur: *Amore Principum conſtat inventum, ut ſimulacris æneis fides ſervaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem videret, qui ſibi Rempublicam multis beneficiis obligaſſet*. Quid multa? omni ope moliebantur, ut illa heroum capita, quæ nunquam viderant, nec ullibi fortaſſe fuerant, eandem ubique ſpeciem tenerent: idcirco omnes Herculis, Bacchi, Jovis, aliorumque fabuloſas effigies numinum inter ſe convenire videmus. Et eximius ille Raphael, Græcorum non impiger æmulator, hoc idem ſecutus eſt, & quum Amoris, & Pſyches fabulam in hortis Auguſtini Chiſii Romæ pinxit, ita Jovem, Neptunum, & Plutonem delineavit, ut fratres eſſe appareat, ad veteres etiam ſtatuas eorum vultus expreſsit. Jupiter vero prorſus idem eſt, cum illius capite, quod in hujus libri fronte collocavimus; quodque fama celeberrimum apud Dominos *della Valle* olim erat, & nunc ſitum eſt, in eodem cubiculo, ubi Auguſtea capita, qui marmora diſpoſuit, dedicavit. Chriſtiani quoque veteris, primæque ætatis, etſi religione ducti (10), non maximo ſimulacrorum amore tenerentur; in ſuis tamen imaginibus, pro temporum inſcitia nulla arte perpolitis, omni ſtudio vultus ſimilitudinem ſpectarunt, cujus rei in beatis Petro, ac Paulo inſigne exemplum exſtat; quorum effigies in quovis vitro, ſaxo,ære plane ſimilis, & ad

(1) Plin. Hiſtor. libr. 35. cap. 12.
(2) Corn. Tacit. Annal. libr. 4. cap. 35.
(3) Lamprid. in Severo cap. 14.
(4) Vopiſcus in Aureliano cap. 24.
(5) Plutarchus in Bruto ſub init.
(6) Horatius Ep. 1. libr. 2.
(7) Plinius Hiſt. lib. 7. cap. 37.
(8) Apulejus Flor. 7.
(9) Caſſiod. Var. libr. 8. cap. 2.
(10) Tertull. de Idol. c. 8.

ad auctorum deſcriptiones plane conformata conſpicitur, de qua re pluribus verbis in alio opere ſum commentatus (1). At Græcorum artificum diligentiam non eſt, quod admiremur, cum gloriæ, ac nominis immortalitati homines illi inſerviſſe animadvertimus; non enim ea, quorum vita, & natura indiget, quæritare opus habebant, cum penes divites, potenteſque degerent; quare operibus abſolvendis, perficiendiſque tempus omne, curam, atque induſtriam, quanta opus erat, unice impendebant. Hinc autem tot exactiſſimi, mirique operis ſimulacra, partium diſpoſitione, ſubtilique muſculorum, venarum, nervulorumque expreſſione naturam ipſam videntur antecellere, ita ut de illis a Caſſiodoro (2) nihil ultra veritatem dictum ſit: *Videbit profecto meliora, quam legit, pulchriora, quam cogitare potuit: ſtatuas illas auctorum ſuorum, ſcilicet adhuc ſigna retinentes, ut quandiu laudabilium perſonarum opinio ſupereſſet, tandiu & ſimilitudinem vivæ ſubſtantiæ imago corporis cuſtodiret. Conſpiciet expreſſas in ære venas, niſu quodam muſculos tumentes, nervos quaſi gradu tenſos, & ſic hominem fuſum in diverſas ſimilitudines, ut credas potius eſſe generatum*. Et Spartianus (3) epigramma refert, ex quo ſignum Peſcennio Nigro ex nigro marmore poſitum intelligitur, ut ei vel ipſo colore congruens eſſet:

Nigrum *nomen habet, nigrum formavimus ipſi,*
Ut conſentirent forma, metalla, ſibi.

Ubi quum Spartianus Peſcennium ex Ægyptio marmore conſtitutum dixerit, colligitur vocem *metalla*, ut in Ulpiano, aliiſque Juriſconſultis, marmoris etiam ſignificationem amplecti; hinc Silius Italicus *nivea metalla* dixit (4); prior tamen Lucanus (5): *dura metalla ſilicum*, quemadmodum Græcis μέταλλον, ac λύτος idem ſonat: imo Plinius (6) *metallum* pro *argilla* uſurpat: demum Georgius Vaſarius in pictorum Vitis (7) mentionem facit cujuſdam lapidis, qui ex agro Veronenſi effoditur, atque Italice *bronzo* appellatur, quod veluti æs ſonet. Porro Plutarchus (8) etiam Jocaſtæ vultum ab artifice ex ære, argentoque conflatum fuiſſe, ut exanimem, atque putreſcentem imitaretur, fama pervulgatum narrat. Plinius vero (9) de Ariſtonide ait: *Quum exprimere vellet Athamantis furorem Learcho filio præcipitato reſidentem pœnitentia; æs, ferrumque miſcuit, ut rubigine ejus per nitorem æris relucente exprimeretur verecundiæ rubor*. Sed ut clarius quidquid adhuc attulimus eluceſcat, & omnes hujus rationis pondere frangantur, optimum factu eſt, in admirabili hoc Muſeo tot Philoſophorum, Oratorum, Poëtarum, & magnorum virorum vultus, quorum primo hujus operis volumine graphidas in ære protulimus, animadvertere. In illis vel minima lineamenta, omneſque conformationes oris apparebunt, quas veterum ſcripta auctorum nobis ſuppeditant, & ſi oculos, animumque magis intendamus, mores etiam, quos hiſtoria cuique tribuit, eminebunt, certantibus veluti cum Poëtarum, ac Hiſtoricorum ſtylo fabrorum inſtrumentis, juxta Horatianum illud: (10)

Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,
Quam per vatis opus mores, animique virorum
Clarorum apparent ....

Quod, ut in additis Animadverſionibus certis argumentis luceret, quantum ingenio, tenui ſane, valuimus, contendimus. Id autem luce clarius efficiet volumen hoc alterum, quod Imperatorum, & Auguſtarum, atque nonnullorum, qui ad eorum familiam ſpectabant, capita amplectitur. Neque in obſervationibus res ab eis geſtas, patriam, parentes, mortis genus referam, cum hæc nota ſint omnibus, ac toties pertractata, ut ex libris, qui omnium manibus teruntur, verbum verbo reddendum eſſet. De feminis tantum, aut de ſingularibus viris, quorum acta huc, illucque diſperſa ſunt, ac paucorum memoriæ præſentia, nonnulla proferam, quæ, ut mea fert opinio, non ingrata, nec ſupervacanea poterunt exiſtimari. At notandum eſſe ſolummodo duxi, quæ forma, qui vultus unicuique fuerit, & ea perſequi, quibus excellentium virorum imagines in Antiquorum libris exhibeantur, quod ſane aliorum, quæ noverim, ſcriptis, & a conſuetudine penitus alienum eſt eorum, qui de his rebus pertractarunt.

(1) Obſervat. in Cœmeteriorum ſculpt. atque picturas Tom. 1. p. 40. 80. 94.
(2) Caſſiod. Var. libr. 7. ep. 15.
(3) Spart. in Peſcenn. in fine.
(4) Sil. Ital. libr. 8. v. 482.
(5) Lucan. libr. 4. v. 303.
(6) Plin. Hiſtor. libr. 18. cap. XI.
(7) Vaſ. Vite de' pitt. part. 3. c. 518.
(8) Plutar. conviv. 5. 1.
(9) Plin. Hiſt. libr. 24. 14.
(10) Horat. ep. 1. v. 248. libr. 1.

JULIUS CÆSAR. I.

SI cui vitæ, rerumque geſtarum Julii Cæſaris, aliorumque Imperatorum cognoſcendarum cupido inceſſerit, Plutarchum, Svetonium, ac hujuſmodi Scriptores adeat; nam in ejus effigie tantum, & capitum lineamentis, quemadmodum propoſuimus, Animadverſiones noſtræ verſabuntur. Caput igitur primi Imperatoris, quem Valerius Maximus (1) *certiſſimam veræ virtutis effigiem* appellat, haud obvium eſt, quamquam Dion (2) teſtetur, illi Romæ ſtatuas poſt Pharſalicam victoriam poſitas, e quibus unam apud veterem illum Brutum, alteram vero in Capitolio, quæ fulminis ictu disjecta eſt, tertiam denique, quæ ſponte collapſa cecidit. Credi tamen poteſt, poſt ejus cædem furentis populi rabiem in illas vim ſuam exercuiſſe; quod & fortaſſe numiſmatibus primi moduli contigit, de quibus Avercampus ait: (3) *Nummi Cæſaris in primo ære, qui vivente illo cuſi ſunt, non inveniuntur, ſed plurimi, quos nepos ejuſdem, & hæres Cæſar Octavianus ſignari fecit.* Aldrovandus (4) decem Cæſaris capita Romæ in privatis ædibus a ſe viſa eſſe ſcribit. Magnus Etruriæ Dux Cæſaris protomen habet, æreo capite. Omnium pulcherrimam habet familia Caſalia. Capitolinum hoc cum numiſmatibus, quamvis poſt ejus necem editis, congruit, melius tamen cum hac Svetonii deſcriptione: (5) *Fuiſſe traditur excelſa ſtatura; colore candido; teretibus membris; ore paulo pleniore; nigris, vegetiſque oculis &c. Circa corporis curam moroſior, ut non ſolum tonderetur, ac raderetur, ſed velleretur etiam.* Quod ſi diligentius hoc ſignum inſpiciamus, partium magnitudinem deprehendemus *teretibus membris* convenientem, nimirum *ſucculentis*, nec *tamen obeſis*, ut Caſaubonus (6) explicat, quodque medium eſt inter τὸν λεπτὸν, & περιπλεὸν Græcorum, ex quo factus eſt *forma omnium civium excellentiſſimus*, juxta Vellejum (7). Elegans illi juventæ flos erat, quem in Bithinia contaminatum fama tulit; (8) quare ſimulacrum hoc in ſenium flexam ætatem exhibens, adoleſcentiæ, quam Svetonius pinxit, minus conferri poterit. Ut comparatio omnibus numeris procederet, oculis ſubjiciendum eſſet coloſſeum juvenis caput ab Aldrovando laudatum (9), quod Antiquarios dubitationum laqueis irretitos expediret, quum apud Begerum (10) in nummis (quorum Patinus (11) plus mille conſuluerat) Cæſarem macie confectum, atque attenuatum vident. Aliud quoque eſt membris, lacertiſque pollere, aliud vero pinguedine diſtentum eſſe. Idcirco Silenus in Cæſaribus Juliani (12) cum Julium dicat procera ſpecie, ac liberali, μέγαν, καὶ καλὸν, nempe, *ore pleniore*, ut Svetonius, & *formoſiſſimum*, ut Vellejus, nulla parte, niſi fronte, ſibi ſimilem eſſe monet, quod intelligi debet, vel ut explicat Spanhemius, (13) quia calvus eſſet, vel ut ſupra diximus, quòd ingraveſcente ætate cutem rugæ contraxiſſent. Refert etiam Plutarchus (14) milites admiratos, quod tantum laboris ſumeret, quum eum gracili corpore, colore nullo, viribus minus valentem, animo linqui, comitiali morbo corripi interdum viderent. Quo in loco color nullus *candido colori*, qui apud Svetonium eſt, (15) aperte reſpondet. Bene quidem comatus erat, quare Cicero (16) verendum non eſſe affirmabat, ne Rempublicam everteret is, qui in componenda coma tantum ſtudii impendere ſoleret, atque uno digito caput ſcalperet, ne capillos perturbaret. Deinde calvum fuiſſe legimus, (17) quod vitium ſenectuti tribuendum eſt. Neque comatum hoc caput dubitationem injiciat, utrum vere ad Cæſarem ſpectet; Svetonius (18) enim frontis tantum calvitio deformem fuiſſe ſcribit, idque iniquiſſime tuliſſe, atque omni ratione occultaſſe, (19) lauream perpetuo geſtando. Nemini igitur mirum eſſe debet, quod in quibuſdam ſimulacris, ut in hoc capite, & in ſtatua noſtri Muſei, calvus minime oſtenditur. Cum neque ſculptor, neque ſculpendi auctor talem fingere auderet, qualem ſe ægre ferret eſſe, ne-

(1) Val. Max. libr. 3. cap. 2. n. 19.
(2) Dion. Hiſtor. libr. 49. pag. 149. libr. 42. pag. 193. libr. 43. pag. 220. libr. 44. in princ. & pag. 248.
(3) Avercamp. Numophyl. Reg. Chriſt. Tab. 1. p. 4.
(4) Aldrov. Stat. antiq. c. 134. 136. 139. 153. 168. 181. 188. 192. 252. 266.
(5) Svet. in Jul. Cæſ. cap. 45.
(6) Caſaub. in Svet. ibid.
(7) Vell. Paterc. libr. 2. c. 41.
(8) Svet. in Jul. c. 2. & 49.
(9) Aldr. Stat. Ant. p. 181.
(10) Beg. Num. Imp. in Theſ. Brandem.
(11) Patin. Not. in Svet.
(12) Julian. in Cæſar. ſub init.
(13) Spanh. in Cæſ. Juliani ibid.
(14) Plut. in Cæſare p. 118. ed. Lond.
(15) Svet. in Jul. c. 45.
(16) Plut. ibid. p. 103.
(17) Svet. ibid. c. 45. & 51.
(18) Svet. ib.
(19) Dion. libr. 43.

neque omnium oculis vitium offerre, quod non Romanis tantum, verum etiam aliis nationibus inviſum erat. Ita apud Hebræos Eliſeum pueri illuſere clamantes *aſcende calve* (1), quo facto iratum ſibi Deum, atque injuriarum vindicem experti ſunt. Et Græcus auctor, quem multi Lucianum eſſe volunt, eamdem ob cauſſam Paulum Apoſtolum irridet (2): & Agatocles in Æliano (3) caput corona ornare ſolitus erat, ut laurea Cæſar, ne calvus videretur. Ex Svetonio quoque perſpicitur, Cæſarem ſibi demere ſolitum barbam, atque brevem aluiſſe comam, quoniam utramque accepta Tituriana clade ſubmiſit. (4)

AUGUSTUS II.

HUjus Imperatoris elegantiſſima ſunt capita, tum quod ars illius ævo ad ſummum perfectionis apicem pervenerat, tum quod is, ut ait Svetonius: (5) *Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima, quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incurioſus, ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam &c. Vultu erat vel in ſermone, vel tacitus tranquillo, ſerenoque*: quæ ſerenitas oris, atque tranquillitas in hoc ſimulacro mirum in modum elucet. Imberbe mentum eſt; ejus nimirum temporis opus, quo ille barbam *radebat*, non vero *tondebat*. Ob Varianam in Germania cladem, tribus legionibus cum duce, & auxiliis omnibus cæſis (6) *per continuos menſes barba, capilloque ſubmiſſo prodiit*. Ex quo colligitur barbam, capilloſque tonſori ſæpe tradere ſolitum fuiſſe. Addit Hiſtoricus: (7) *Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris, gaudebatque ſi quis ſibi acrius intuenti, quaſi ad fulgorem Solis vultum ſubmitteret, ſed in ſenecta ſiniſtro minus vidit; dentes raros & exiguos, & ſcabros; capillum leviter inflexum, & ſubflavum; ſupercilia conjuncta; mediocres aures; naſum & a ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem; colorem inter aquilum, candidumque; ſtaturam brevem (quam tamen Julius Marathus libertus etiam in memoriam ejus quinque pedum, & dodrantis fuiſſe tradit) ſed quæ commoditate, & æquitate membrorum occuleretur, ut niſi ex comparatione adſtantis alicujus procerioris intelligi poſſet*. Egregiam Auguſti formam teſtatur etiam Sextus Aurelius: (8) *Fuit mitis, gratus, civilis animi, lepidi, corpore toto pulcher, ſed oculis magis*. Et hujuſmodi corporis ſpecies, dignitas plane virilis, non muliebre quoddam, & inane decus erat; quare Tacitus: (9) *Divus Auguſtus* (ait) *vultu, & aſpectu Actiacas legiones exterruit*. Quæ quidem ſevera majeſtas in hac effigie ſatis eminet, multoque magis in ejuſdem Imperatoris ſimulacro, quod integrum, atque ſincerum in Magni Ducis Gazophylacio locum habet, cujus labium ſuperius, & malas quoque ad aures molliſſima lanuginis umbra tegit. Eamdem vero ſeveritatem non tam aperte præſeferre videtur ſtatua, quæ illi in Capitolio poſita eſt, poſt Actiacam victoriam, ut Maffejus (10) Eques ſuſpicatur: roſtrum enim ad Auguſti pedes cælatum apparet. Supercilia penè conjuncta, ſive ut Petronius (11) ait: *Supercilia &c. confinio luminum pene permixta, decori habita ſunt*. Commendari quoque ſolebant mediocres aures, quas certe Ariſtoteles (12) morum probitatem portendere docet, ut & naſum aduncum magnanimitatem; quem apud Perſas honori fuiſſe, teſtatur Plutarchus, (13) quia talem habuerat Cyrus; quamvis Auguſti naſus non omnino aduncus erat, ſed qualem Philoſtratus (14) Achilli adſcripſit: οὔπω γυπὸν, ἀλλ᾽ οἷον μέλλουσαν, *non aduncum, ſed jam jam futurum*. Ad ultimum, qualis fuit Theodorico Gothorum Regi, de quo Sidonius: (15) *Naſus venuſtiſſime incurvus*. Plinius (16) refert, Dioſcoridem, nobilem ejus ætatis artificem, hunc Imperatorem in annulo quodam mirifice expreſſiſſe: *Apollonides, & Cronius in gloria fuere: quique Divi Auguſti imaginem ſimilem expreſſit, qua poſtea Principes ſignabant, Dioſcorides*. Ex quo conſtat, ſapientiſſimi Imperatoris imaginibus honorem poſt obitum ejus eſſe ſervatum. Nec leve omen fuiſſe, quum noviſſimo Neronis anno ſceptrum ex Auguſti manibus, ſtatua ejus de cælo tacta, excuſſum eſt, Svetonius narrat. (17)

MAR-

(1) Reg. 2. cap. 4. v. 24.
(2) Lucian. in Philop.
(3) Ælian. Var. Hiſt. libr. XI. cap. 4.
(4) Svet. in Jul. cap. 67.
(5) Svet. in Aug. cap. 79.
(6) Ibid. & cap. 23.
(7) Idem cap. 79.
(8) Sext. Aurel. Epitom. cap. 1.
(9) Tacit. Ann. libr. 1. 42.
(10) Maff. Stat. ant. num. 16.
(11) Petron. cap. 126. edit. Traject. 1709. in 4.
(12) Ariſt. Hiſtor. animal. 1. 86.
(13) Plut. De repub. gerend. pag. 821.
(14) Philoſtr. Heroic. cap. 19. n. 5.
(15) Sidon. libr. 1. epiſt. 2.
(16) Plin. Hiſtor. libr. 37. cap. 1.
(17) Svet. in Galba cap. 1.

MARCELLUS. III.

Filius hic eſt Octaviæ Auguſti ſororis, qui vix ex ephebis egreſſus Juliæ, ejuſdem Auguſti filiæ ex Scribonia prima uxore, nupſit teſte Svetonio (1); verum adhuc florente ætate e vita deceſſit. Quum Auguſtus in generum eum cooptaſſet, ſuumque adoptione filium feciſſet, creditum eſt, eum Imperii quoque ſucceſſorem animo deſignaſſe. Ita enim Paterculus (2) habet: *L. M. Marcellus ſororis Auguſti Octaviæ filius, quem homines ita, ſi quid accidiſſet Cæſari, ſucceſſorem potentiæ ejus arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam ſecuro ei poſſe contingere non exiſtimarent; magnificentiſſimo munere ædilitatis edito deceſſit admodum juvenis; ſane, ut ajunt, ingenuarum virtutum, lætuſque animi, & ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax*. Ea de cauſa Antonius Muſa ejus mortis cauſatus fuit, non tamen inſcia Livia, quæ ſuos filios proferre ſtudebat, ut ait Dio. (3) Celebre eſt elogium, quo illum Virgilius in fine libri ſexti Æneidos mactavit, de quo multa Servius (4) his verbis: *Significat autem Marcellum filium Octaviæ ſororis Auguſti, quem ſibi Auguſtus adoptavit. Hic decimoſexto anno incidit in valetudinem, & periit decimo octavo in Bajano, quum ædilitatem gereret, cujus mortem vehementer civitas doluit; nam & affabilis fuit, & Auguſti filius. Ad funeris hujus honorem Auguſtus ſexcentos lectos intrare civitatem juſſit: hoc enim apud Majores glorioſum fuerat, & dabatur pro qualitate fortunæ; nam Sylla ſex millia habuit. Igitur cum ingenti gloria, & pompa relatus* (forte *elatus*) *& in Campo Martio eſt ſepultus*. His omnibus rationibus magno in pretio habenda eſt hæc protome, præterquamquod e pulcherrimo marmore exciſa, ac tali excellentia, qualis Auguſteum ævum decebat, in quo pulcherrimæ artes potiſſimum florebant. Capilli præcipue mirabili artificio elaborati conſpiciuntur, & faciei decor, in qua cernimus:

> *Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis,*
> *Sed* FRONS LÆTA PARUM, *& dejecto lumine vultu,*

ut ibidem illum deſcripſit Virgilius.

M. AGRIPPA. IV.

Magni æſtimandum eſt hoc caput forma quaſi coloſſea, quod M. Vipſanium Agrippam repræſentat, hominem multis præditum virtutibus, qui ſub Romano Auguſti imperio (5) Prætor fuit, & Cenſor (6) cum ipſo Auguſto, & Tribunus Plebis decem annis, & tertium Conſul. Terra marique exercitibus, claſſibuſque imperavit, & maritimis (7) rebus præfuit, novumque portum circa Bajas (8) aperuit, ex quo multis laudibus a Dione cumulatur. Tot victorias reportavit, ut (9) merito triumphus illi decerni poſſet, verum a tanto honore abſtinuit, ſed illi decreta fuit corona roſtrata ex auro, quo honore nemo ante, vel poſt illum decoratus fuit ex teſtimonio Dionis, (10) & Plinii (11). Hoc amplius illi conceſſum eſt, ut illa corona uteretur, quoties aliquis triumphator laurea uſus fuiſſet. Maxime ipſi Auguſto carus, quique in illo tantum fidebat, ut ei litteras (12) a ſe ſcriptas ſubiceret, permiſſione facta eas ſuo arbitratu commutandi, eaſque obſignatas mittendi, ad quos mittendæ erant, qua de cauſa illi tradiderat ſuum annulum ſignatorium. (13) Quum vero in caſtris degerent, ſuo quamproximum Agrippæ tabernaculum figi, ſuoque ſimillimum volebat, & ut ille teſſeram militarem exercitui daret, ac tandem ei filiam deſpondit, ut narrat Tacitus (14), & Svetonius. (15) Sed Agrippa hac familiaritate, iiſque prærogativis magno animo (16) in publicum bonum uſus eſt, ac

(1) Sveton. in Aug. cap. 63.
(2) Vell. Pat. libr. 2. cap. 93.
(3) Dio libr. 53. pag. 519.
(4) Serv. ad 6. Æneid. ver. 862.
(5) Dio libr. 48. pag. 368.
(6) Dio libr. 53. pag. 494, & libr. 54. pag. 541.
(7) Idem libr. 49. pag 393.
(8) Idem ibid. p. 388. & 397.
(9) Idem libr. 54. pag. 528. &c.
(10) Idem libr. 49. pag. 400.
(11) Plin. Hiſt. nat. libr. 16. cap. 4.
(12) Dio libr. 51. pag. 444.
(13) Idem libr. 53. pag. 496.
(14) Tacit. Annal. libr. 1. 3.
(15) Svet. in Aug. cap. 63.
(16) Dio libr. 53. pag. 512.

ac præſertim in Romæ utilitatem, quò Aquam Virginem (1) duxit, & præclara ædificia erexit, inter quæ (2) porticus eminet ad Ædem Pantheωn, quamvis Plinius (3) ſolidum templum ædificaſſe, non tantum porticum adfirmet. Sub porticu autem Auguſti ſimulacrum, ſuumque poſuit, ex quo fortè hoc caput injuria temporis avulſum eſt, nam in vicinia erutum fuit, eoque magis, quod videatur ita confictum, ut ſimulacro aptari poſſit. Aut forte idem impoſitum fuit centumquinque illis ſalientibus, vel centum triginta caſtellis, quæ (4) Plinius recenſet, multis ſtatuis æreis, & marmoreis ab eo ornata. *Agrippa vero* (ait Plinius) *in ædilitate ſua, adjecta Virgine Aqua, ceteris corrivatis, atque emendatis lacus ſeptingentos fecit: præterea ſalientes centum quinque, caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna trecenta ærea, aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo ſpatio; adiicit ipſe in ædilitatis ſuæ commemoratione & ludos undeſexaginta diebus factos, & gratuita præbita balinea centum ſeptuaginta, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum*; cujus rei mentionem etiam induxit Seneca (5) in illo profecto brevi, ſed tamen magnifico de Agrippa elogio: *Qui tot in Urbe maxima opera excitavit, quæ & priorem magnificentiam vincerent, & nulla poſtea vincerentur*. Summi viri laudes non ſunt hujus loci, neque eum in finem tendunt, quem nobis ſtatuimus, legique poſſunt in hiſtoricis ejus ævi, & præcipue in Dione (6). Ejuſdem Scriptoris teſtimonio (7) dixiſſe ſufficiat, illum ab Auguſto ad ſupremum ferme Imperium elatum fuiſſe, & cognationem cum tribus Imperatoribus iniiſſe, nam Auguſti Gener, Socerus Tiberii, & Caligulæ Avus fuit, etſi humili loco natus. Verum illud omnes laudes excedit, quod quamvis multum apud Auguſtum gratia valeret, illum tamen omni vi hortatus eſt, ut Imperio nuncium remitteret, Populumque Romanum in antiquam libertatem, teſte Dione (8), aſſereret. Noſtrum hoc marmor ſimillimum eſt illi, qui in Muſeo M. Ducis Florentiæ proſtat, quod quidem forma minus, ſed artificio excellentius eſt, nam inter omnia, quæ in eo ampliſſimo antiquitatis theſauro adſervantur capita, fortaſſe arte ſupereminet, amboque cum nummis tam Græcis, quam Romanis, necnon Coloniarum mirifice conveniunt. Hi nummi valde rari ſunt, & præſertim maximi moduli, quorum unus adeſt in Bibliotheca Vaticana, ut videre eſt in Tab. V. Tomi Primi, in quo hæc numiſmata recenſentur, & illuſtrantur a V. Clariſs. Rudolphino Venuto. In hujus celeberrimi viri effigie neſcio quid ſeveri, ac terribilis effulget, nec tamen, ut Caligulæ vultus crudelitatem, & ſævitiem ſpirat, quamvis in utroque ſupercilium prominens, & frons obducta, atque, ut cum Apulejo (9) loquar, caperata. In Agrippa enim elucet ea animi nota, quam his verbis Paterculus (10) expreſſit: *M. Agrippa virtutis nobiliſſimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, ſed uni, ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſque facta conjungens*. Quæ omnia quam apertiſſime proſpicies, ſi noſtrum hoc marmor intuearis, necnon quæ addit Seneca (11) dicens: *M. Agrippa vir* INGENTIS ANIMI, *qui ſolus ex his, quos civilia bella claros, potenteſque fecerunt, felix in publicum fuit*. Hoc Agrippæ caput BENEDICTO XIIII. dono dedit Lactantius Sergardius Patritius Senenſis bonarum artium ſtudio quammaxime deditus, fratris filius Ludovici Sergardi, qui tum in Latinis, tum in Etruſcis carminibus pangendis magnam nomini ſuo famam acquiſivit. BENEDICTUS autem, qui Muſeum noſtrum locupletare in dies ſatagit, hoc caput in eo dedicavit.

(1) Idem libr. 54. pag. 578.
(2) Idem libr. 53. pag. 515.
(3) Plin. Hiſt. Nat. libr. 36. cap. 15.
(4) Plin. ibid.
(5) Senec. de Benef. libr. 3. cap. 32.
(6) Dio libr. 54. pag. 541.
(7) Idem ibid. pag. 529.
(8) Idem libr. 52. p. 464.
(9) Apul. Metam. libr. 9. p. 283. ad uſum Delph.
(10) Patercul. libr. 2. cap. 79.
(11) Senec. Epiſt. 94.

TIBERIUS. V. ET VI.

Tiberius Imperator literis quidem eruditus, ac magno ingenio præditus, at ſupra modum avarus, ſubdolus, impudicus, corporis celſitudine, ac robore pollebat. *Juvenis*, inquit Paterculus (1), *genere*, *forma*, CELSITUDINE CORPORIS, *optimis ſtudiis*, *maximoque ingenio inſtructiſſimus*. Hæc eadem habemus ex (2) Svetonio, atque hoc amplius: CORPORE *fuit* AMPLO, *atque robuſto*: STATURA QUAE JUSTUM EXCEDERET: *latus ab humeris*, *& pectore*: *cæteris vero membris uſque ad imos pedes æqualis*, *& congruens &c. Colore erat candido*, CAPILLO PONE OCCIPITIUM SUBMISSIORE, *ut cervicem etiam obtegeret*, FACIE HONESTA *cum* PRÆGRANDIBUS OCULIS: *incedebat cervice rigida*, *& obſtipa.* Quod duo, quæ in noſtro Muſeo marmorea Tiberii capita habemus, nonnihil inter ſe differant, minime mirandum eſt; primum enim Tiberium juvenem, ideoque pinguem eum repræſentat, alterum autem, quando jam ad ſenectam vergeret, ea enim ætate macer, incurvus, calvuſque factus eſt, teſte (3) Tacito: *Erant*, *qui crederent in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe*, *quippe illi* PRÆGRACILIS, ET INCURVA PROCERITAS, NUDUS CAPILLO VERTEX, *ulceroſa facies*. Quæ omnia complexus eſt Antonius Zantanus, cujuſcunque tandem auctoritatis ille ſit, in XII. primorum Cæſarum, eorumque imaginum recenſione his verbis: *Amplo fuit Tiberius*, *ac robuſto corpore*, *pectore lato*, *cæteris vero membris a ſummo vertice ad imos uſque pedes æqualis*, *& congruens*: *colore candido*, *capillo prolixiore*, *ac prægrandibus oculis*, *quibus etiam vel noctu facile cerneret*: *obliquo incedebat capite*, *& vultu contractiore*. In neutra harum protomarum calvus apparet, quod fortaſſe cauta diſſimularunt arte ſculptores, ne iracundum, ſævumque offenderent Imperatorem, quamvis calvum eum fuiſſe adfirmet etiam Dio (4), eaque de cauſa irriſum a Sejano narret. In ambabus tamen his προτομαῖς recta cervice expreſſus eſt, quod omnino congruit illis verbis: *Cervice rigida*, *& obſtipa*, quæ in Svetonio habentur; quamvis Beroaldus ibi ita commentetur: OBSTIPUM *proprie dicimus* INCLINATUM ET OBLIQUUM, *referimuſque ad caput*, *& cervicem*, quod ſane contrarium eſt. Verum eam ſententiam non ſolum ſequutus eſt Zantanus, ut vidimus, ſed etiam omnia Lexica, ac illa quoque, quae a Roberto Stephano, & Martinio confecta ſunt, necnon ab omnibus ferme grammaticis, qui ſe mutuo exſcripſere. Sed qui mihi admirationem movit, eſt magnus Caſaubonus (5), Græce, Latineque, quam qui maxime, eruditus, qui arbitratus eſt *obſtipum* idem eſſe ac βυσαύχην apud Pollucem, (6) & Suidam (7), quem *incurvicervicum* Nevius antiquus poëta dixit. Verum contra eos ſtant Svetonii verba, & hæc noſtra marmorea capita, ac præterea auctoritas magni facienda eruditiſſimi Voſſii in Etymologico, ubi de hoc verbo ita ſcribit: *Obſtipo capite eſſe dicuntur*, *quibus cervix immota eſt*, *rigidaque*; etſi poſtea nonnihil hanc interpretationem perturbet. Sed quum a verbo *ſtipes* derivetur, ut manifeſte apparet, nullam aliam habere poteſt ſignificationem. In noſtram pedibus it ſententiam Pitiſcus: (8) *Obſtipa*, (inquit) *ideſt immobili*, *quæ nonniſi cum toto corpore convertitur*. At majus pondus habere videntur verba (9) veteris Horatii Commentatoris apud Cruquium, qui ait: *Capite obſtipo*, *fixo*, *immobili*.

In primo horum capitum illud etiam apparet, quod Julianus (10) Imperator dicit: Τέταρτος ἐπεισέδραμεν αὐτοῖς Τιβέριος σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρὸς σώφρων τε ἅμα, καὶ πολεμικὸν βλέπων. *Tertius ipſis acceſſit Tiberius aſpectu gravis*, *& trux*, *prudentiam ſimul*, *& virtutem militarem præferens*. Alterum caput num. V. thoraci inſidet circumveſtito pulcherrimo alabaſtrite lineis verſicoloribus diſtincto, ut veſtis ſerica omnino appareat.

DRU-

(1) Patercul. libr. 2. c. 94.
(2) Sveton. in Tiber. cap. 68.
(3) Tacit. Annal. libr. 4. 57.
(4) Dio libr. 58 p. 633.
(5) Caſaub. in Notis ad Sveton. in Tiberio cap. 68.
(6) Polluc. libr. 2. ſegm. 135.
(7) Suid. in hac voce.
(8) Pitiſc. in hunc Svet. locum.
(9) Vetus Interp. Horatii ad libr. 2. Satir. 5. ver. 92.
(10) Julian. in Cæſarib. p. 309.

DRUSUS. VII.

IN candidiſſimo marmore ſculptum eſt hoc caput, ac ita expolito, ut lapis Orientalis, ac maximæ duritiæ appareat; caput vero cum thorace ſolidum marmor, & unicum eſt. Hic ille eſt Druſus Major, ſeu Druſus Claudius, quemadmodum eum nominat Paterculus, quique in nummis Nero Claudius Druſus appellatur. Prænomen Neronis obtinuit, quod cognominis loco datum fuit fratri ejus Tiberio. Summa ſui, ac Romani nominis gloria legionibus imperavit in bello Germaniæ, ac eam provinciam magna ex parte ſubegit, quare Germanici appellationem conſequutus eſt. Juvenis ab artifice repræſentatur, quod in ipſo ætatis flore mortem obierit; & formoſus, ut revera erat, vultu quidem, ſed magis animo magnis virtutibus exculto, ut his verbis teſtatur Vellejus (1) Paterculus: *Cura deinde, atque onus Germanici belli delegata Druſo Claudio fratri Neronis, adoleſcenti tot, tantarumque virtutum, quot, & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria perficit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certe* DULCEDO AC SUAVITAS, *& adverſus amicos æqua, ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. Nam* PULCHRITUDO CORPORIS *proxima fraternæ fuit.* In hac autem προτομῇ ea relucet dulcedo, ac morum ſuavitas, ac vultus formoſitas, quam deſcripſit Paterculus, quapropter magni facienda eſt. Reſpondet autem, ac omnino aſſimilatur his, qui adhuc exſtant, tanti viri nummis, quos refert (2) Mediobarbus, & Vaillantus (3), quique non omnino rari ſunt. Si quis ejus res geſtas ſcire averet, adeat ipſum Mediobarbum, qui eas in unum collegit.

Svetonius (4) innuere videtur, Druſo ſtatuæ honorem fuiſſe decretum, nam Claudius, qui poſtea Imperator fuit, quod in ea locanda ſegnior pro more ſuo fuiſſet, pene Conſulatu ſubmotus fuit. Eadem ratione multas alias ſtatuas, atque imagines illi etiam ex Senatus conſulto poſitas fuiſſe veroſimile eſt, teſtante Tacito: (5) *Druſi magna apud populum Romanum memoria; credebaturque, ſi rerum potitus foret, libertatem redditurus.* Lipſius quoque autumat in militaribus ſignis Druſi imaginem fuiſſe.

ANTONIA. VIII.

QUammaximi facienda eſt hæc Antoniæ junioris marmorea imago, nam rariſſima. Hæc eſt illa Antonia M. Antonii Triumviri (6), & Octaviæ Auguſti ſororis filia, ac Druſi, de quo mox loquuti ſumus, uxor, mulier proba, ac temperans, & præcipue in potu, quum ſemper, ut antiquæ illæ apud Romanos feminæ, a vino ſe abſtinuerit. Junior, ſeu Minor dicta eſt ad ſororis differentiam, quæ eodem nomine appellabatur, ſed natu prior erat, & quæ nupſit Domitio (7) Ænobarbo, ex quo originem Nero Imp. duxit. Hæc noſtra tres peperit filios, Germanicum, Livillam, & Claudium poſtea Imperatorem, & (8) veneno abſumta eſt. Plinius (9) ait, eam nunquam excreaſſe, & Val. (10) Maximus illam ſummis laudibus cumulavit ob pudicitiam, & amorem conjugalem, Plutarchus (11) autem ob pulchritudinem. Cornelius (12) vero Tacitus minorem nuncupat Antoniam illam, quæ Domitio nupta eſt, ſed Criticorum filii hoc putant amanuenſium σφάλμα fuiſſe, ut patet ex Plutarchi (13) teſtimonio, dicentis: Ἀπολειπομένων δὲ τῶν Ἀντωνίου καὶ Ὀκταβίας δυοῖν θυγατέρων, τὴν μὲν Δομίτιος Αἰνόβαρβος ἔλαβε, τὴν δὲ σωφροσύνῃ καὶ κάλλει περιβόητον Ἀντωνίαν Δροῦσος ὁ Λιβίας υἱὸς πρόγονος δὲ Καίσαρος. *Ex duabus Antonii, & Octaviæ filiabus ſuperſtitibus altera Domitio Ænobarbo nupſit, altera vero honeſtate, & pulchritudine celebris Druſo Liviæ filio, & Auguſti privigno*; ex quo infertur, Antoniam hanc illuſtrem fuiſſe oris pulchritudine, quamvis hæc ejus marmorea effigies non adeo formoſa ap-

(1) Patercul. libr. 2. cap. 95.
(2) Mediobarb. Imper. Roman. numiſm. n. 13.
(3) Vaill. Numiſm. Imper. præſtant.
(4) Svet. in Claud. cap. 9.
(5) Tacit. Annal. libr. 1. cap. 33.
(6) Lipſ. Not. in Tacit. ibid. c. 43. V. Dion. l. 55. p. 549. & Tac. An. l. 4. c. 44.
(7) Plut. in M. Ant. pag. 995. & Tacit. ib.
(8) Sveton. in Claud. cap. 1.
(9) Idem in Calig. c. 23. & Tacit. An. l. 1. & 2.
(10) Plin. Hiſt. Nat. libr. 7. cap. 19.
(11) Val. Max. libr. 4. cap. 3.
(12) Plut. in M. Ant. pag. 995.
(13) Tacit. Annal. libr. 4. cap. 4.

appareat, quòd fortaſſe ætate proveɛtiore excuſa fuerit. Obſervatione digna eſt capillorum concinnatio, qui in quatuor partes diſpeſcuntur, ac ſuper humeros recidunt. Duo maximi moduli numiſmata cum ejus imagine exſtant in Muſeo (1) Florentino, de quibus videſis eruditiſſimas V. C. Gorii animadverſiones, qui ibi etiam refert inſcriptionem ad hanc Antoniam Auguſtam pertinentem. Noſter artifex caput ejus corona ex lauro inſignivit, ut ex foliis, & bacchis inter ea permixtis apparet, ni ſint olivæ, & corona oleagina. Excellens hujus Antoniæ caput marmoreum videre eſt in Muſeo Magni Etruriæ Ducis, quod ex ſolido marmore una cum thorace, qui velo egregie ſculpto circumveſtitur, exiſtit. Ambo hæc marmora nummis omnino reſpondent, in quorum uno apud Mediobarbum, & Vaillantum (2) in parte poſtica cernitur femina velo obnupta, cum ſimpulo præ manibus.

GERMANICUS. IX.

HIc Heros antiquorum Romanorum virtutem profecto adæquavit. Filius erat Druſi, & Antoniæ junioris, de quibus ſuperius mentio facta eſt, Caji Cæſaris pater, & a Tiberio Cæſare patruo Auguſti juſſu adoptatus, ut ex Svetonio, (3) & Juſtiniano (4) Imperatore conſtat. Celebris quidem fuit non ſolum inſignibus animi dotibus, ſed etiam corporis: *Omnes* (inquit (5) Svetonius) *Germanico* CORPORIS, *animique* VIRTUTES, *& quantas nemini cuique contigiſſe ſatis conſtat.* FORMAM, *& fortitudinem* EGREGIAM, *ingenium in utroque eloquentiæ, doctrinæque genere præcellens: benevolentiam ſingularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum, & efficax ſtudium.* FORMÆ *minus congruebat* GRACILITAS CRURUM, *ſed ea quoque paullatim repleta aſſidua equi vectatione poſt cibum. Hoſtem cominus ſæpe percuſſit &c.* Ac deinde per multa capita eum ſummis laudibus cumulat, ex quo quam juſta fuerit ea adclamatio popularis apparet (6): *Salva Roma, ſalva patria, ſalvus eſt Germanicus.* Et qui illum cum Alexandro Magno componebant, minime omittebant formæ nobilitatem, qua uterque mirum in modum pollebat. Hinc Tacitus (7) ait: *Et erant, qui* FORMAM, *ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent: Nam utrumque* CORPORE DECORO, *genere inſigni.* Tandem Germanici facies, vultuſque lineamenta indolem viri a Tiberii natura toto cœlo contrariam præferebant, teſte eodem Tacito: *Juveni civile ingenium, mira comitas, & diverſa a Tiberii ſermone,* VULTU, *adrogantibus, & obſcuris.* Et Zonaras licet Græcus auctor, & valde inferioris ævi idem innuere videtur, Germanicum ſcilicet & corporis, & animi præſtantia multum valuiſſe: Κάλλιστος μὲν γὰρ τὸ σῶμα, ἄριστος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ. Multa præterea de ejus virtutibus narranda forent, ni Vellejus, ut peſſimo Tiberii ingenio aſſentaretur, parcius, quam ejus hiſtoria pateretur, de eo loquutus fuiſſet. Nec tamen de illo quidquam obloquutus eſt, ut ex his verbis nonnulli ſuſpicati ſunt: *Quo quidem tempore, ut pleraque* IGNAVE GERMANICUS, *ita Druſus &c.* nam GNAVE legendum, ut multis, firmiſque argumentis oſtendit Boëclerus in Notis ad hunc locum contra Schegkium. Hujus excellentis viri imago cernitur in nummis, quamvis rariſſimi ſint, vel quod brevi tempore vixerit, annis videlicet XXXIII. vel quod ejus memoria Tiberio inviſa fuerit. Ceterum & omnes meruit honores, & iis largiſſime cumulatus fuit, ut credibile videatur etiam ſtatuarum honore donatum fuiſſe. Etenim Conſulatum geſſit, antequam etiam per leges liceret, & poſtea iterum Conſul renunciatus fuit: Legiones (8) compeſcuit, quae illi Imperium deferre pertinaciſſime volebant: Armeniæ Regem devicit: triumphum promeritus eſt. Necnon ingenii laude quammaxime floruit, nam orator cauſas magnas, & eximias, triumphaleſque oravit, & poëta Græcus comœdias reliquit: ex Agrippina M. Agrippæ filia novem liberos procreavit, quæ omnia ingentem ei gloriam, atque omnium amorem peperere; præterquamquod omnibus virtutibus, quæ tam privatum hominem, quam rerum publicarum adminiſtratorem decent, ornatus erat, ſcilicet comis in ſocios, mitis in amicos, manſuetus in hoſtes, modicus in voluptatibus una uxore contentus, procul ab avaritia, & arrogantia, & in ſumma fortuna nunquam nimis elatus, neque in adverſa depreſſus, gravem, & magnanimum, ac juſtitiæ tenacem ſeſe prætulit.

AGRIP-

(1) Muſ. Flor. Tom. 4. Tab. VII.
(2) Vaill. Numiſ. Imp.
(3) Svet. in Calig. cap. 3. & in Tib. cap. 15.
(4) Juſtin. Inſtit. libr. 1. tit. XI.
(5) Svet. in Calig. cap. 3.
(6) Svet. ibid. cap. 6.
(7) Tacit. Annal. libr. 2. cap. 73.
(8) Svet. in Calig. cap. 1. 2. &c. & Dio libr. 56.

AGRIPPINA GERMANICI UXOR. X.

EX uno, ſolidoque marmore hæc protome eſt, ac excellentia artificii inſignis, & præcipue hoc artificium in veſte, qua operitur, adparet. Imago (1) hæc eſt Agrippinæ Marci Agrippæ filiæ ex illa Julia, quæ primum C. Marcello nupſit, deinde M. Agrippæ, ac tandem Tiberio, & quæ erat Auguſti, & Scriboniæ filia. Hæc eadem Agrippina mater fuit Caligulæ, Druſi, & Neronis (quos duos occidit Tiberius) nec non Liviæ, & Druſillæ, & alterius Agrippinæ uxoris Claudii, ac matris Neronis Imp. Quapropter Germanicus ipſe hujus maritus morti proximus apud Tacitum (2) dicit: *Oſtendite Populo Romano* D. AUGUSTI NEPTEM, *eamdemque* CONJUGEM MEAM: *numerate* SEX LIBEROS &c. Inter Græcos Caligulæ nummos imaginem habemus hujus feminæ, ex quibus in notitiam venimus hujus protomes, nam ex nummis maximi moduli fieri non poterat, quum nulli ſint. Hujus etiam epitaphium exſtat apud Gruterum, (3) quod prius mendoſe retulerat Patinus. (4)

OSSA
AGRIPPINAE F. M. AGRIPPAE
DIVI. AVG. NEPTIS. VXORIS
GERMANICI. CAESARIS
MATRIS. C. CAESARIS. AVG.
GERMANICI. PRINCIPIS

Tacitus (5) affirmat, eam fuiſſe aliquantulum iracundam, ac multas cum Livia Auguſti uxore ſimultates egiſſe, ſed naturæ vitium virtutis ratione temperaſſe: *Accedebant* MULIEBRES OFFENSIONES *novercalibus Liviæ in Agrippinam ſtimulis*, *atque ipſa Agrippina* PAULO COMMOTIOR, *niſi quod caſtitate*, *&* *mariti amore*, *quamvis* INDOMITUM ANIMUM IN BONUM VERTEBAT.

CALIGULA. XI. ET XII.

NAtura rerum provida creatrix iis hunc ſceleſtiſſimum Imperatorem vultus lineamentis donavit, quæ iniquiſſimum ejus animum peſtilentiſſimis vitiis, & humano generi noxiis refertiſſimum luculenter demonſtrarent. En quibus eum coloribus Svetonius (6) ad vivum pinxit: *Statura fuit eminenti*, *pallido* (vel ut alii habent *expallido*) *colore*, *corpore enormi*, GRACILITATE MAXIMA CERVICIS, *&* *crurum*, *&* OCULIS, ET TEMPORIBUS CONCAVIS: FRONTE LATA ET TORVA, *capillo raro*, *ac circa verticem nullo*; *hirſutus cetera*. *Quare tranſeunte eo*, *proſpicere e ſuperiore parte*, *aut omnino quacunque de cauſa* capram *nominare*, *crimino ſum*, *&* *exitiale habebatur*. VULTUM *vero natura* HORRIDUM, ET TETRUM, *etiam ex induſtria efferabat*, *componens ad* SUPERCILIUM *in omnem terrorem*, *&* *formidinem*. Talia ſunt oppido hæc duo capita noſtri Muſei, ut videatur ſcalptorem ad hanc deſcriptionem in iis excudendis reſpexiſſe, vel Svetonium ob oculos hæc marmora, dum illa ſcriberet, habuiſſe; tanta ſimilitudo intercedit inter hiſtorici verba, & ſculptoris opificium. Quod idem ex parte accidit verbis Senecæ (7) dicentis: *Tanta illi palloris inſaniam teſtantis fœditas erat*, TANTA OCULORUM SUB FRONTE *anili* LATENTIUM TORVITAS, *tanta capitis deſtituti*, *&* EMENDICATIS CAPILLIS *aſperſi deformitas*: *adiice obſeſſam ſetis cervicem*, *&* *exilitatem crurum*, *&* *enormitatem pedum*. Quæ tanta verborum conformitas oſtendere videtur horum marmorum cum protypo ſimilitudinem, ad quem reſpexerunt ambo hi Scriptores, nec alius ex alio excerpſiſſe putes. Quum vero Seneca dicat, illum *emendicatis capillis* uſum fuiſſe, fortaſſe intelligendum eſt, galericulum geſtaſſe. Hinc forte Svetonius (8) ait: *Pulchros*, *&* *comatos &c. occipitio raſo deturpabat*. Hinc necem mandavit filii Paſtoris: *Munditiis ejus*, *&* CULTIORIBUS CAPILLIS *offenſus*, ut idem

(1) Sveton. in Calig. cap. 7.
(2) Tacit. Annal. libr. 2. cap. 71.
(3) Gruter. Inſcr. pag. 237. n. 4.
(4) Patin. Imper. Numiſ. pag. 68.
(5) Tacit. Annal. libr. 1. cap. 33.
(6) Svet. in Calig. cap. 50.
(7) Senec. de Conſt. cap. 18.
(8) Svet. in Calig. cap. 35.

idem Seneca (1) tradit. Quæ mirifice conveniunt cum Svetonio narrante ipſum in lupanaria deſcendere ſolitum fuiſſe (2) *capillamento celatum*, *&* *veſte longa*, ne quis eum cognoſcere poſſet. Tandem Caligulæ ſupercilium, ut ſupra retulimus, non majeſtatem, gravitatemque, atque cenſoriam ſeveritatem ſpirabat, ut in Agrippa, ſed horridum quid, & minacem crudelitatem, & animum ad ſævitiam natum, quique, ut idem (3) Stoicus ait: *Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igne*, VULTU SUO. Ut autem noſter artifex *expallidum* colorem magis ad vivum exprimeret, ut puto, uſus eſt, baſalte coloris ferruginei, & ſingularis duritiei in capite graphidis numeri XI. ſcalpendo. Hoc caput præter eximiam operis excellentiam, qua nulli noſtri Muſei ſecundum eſt, maximi etiam faciendum, quod cum thorace integrum, ſolidumque lapidis fruſtum ſit. Alterum etiam caput num. XII. ex Pario marmore ſolidum eodem modo eſt, atque eadem arte excuſum. Et quamvis hic Imperator (4) a rerum natura in exitium, opprobriumque humani generis editus videretur, Imperiumque funditus everſum fuerit, ut idem Seneca ſcripſit ad Polybium, ideoque dignus habitus ſit, ut æterna oblivione nomen ejus obrueretur, attamen nonnullæ adhuc illius imagines ſuperſunt, forte ſub initio imperii ſculptæ, quum egregiæ indolis ſpecimen dedit, qua de cauſa plauſus populares promeritus eſt, & illi varia honorum genera fuerunt a populo conſtituta, ut narrat idem (5) Svetonius: vel quod quamplurimas ſui ipſius ſtatuas ſcalpendas curaverit, quas ad Imperii urbes miſit, & in templum uſque Hieroſolymitanum; ac præterea illuſtrioribus Numinum ſimulacris demto capite ſuum impoſuerit (6), quod Jovis Olympici ſigno, religione, & arte præclaro, factum. Vidimus nuper ejuſdem Imperatoris caput æreum, operis quantumvis egregii, apud Cardinalem Sylvium Valenti S. R. E. Camerarium, & Pontifici Max. a Secretis in iis, quæ ad ſummum Pontificatus regimen ſpectant, Principem omnium artium, ſcientiarumque expertiſſimum, omniumque elegantiarum amatorem, in quibus colligendis nullum compendium facit.

CLAUDIUS. XIII.

HOc, cujus exhibemus graphidem, marmoreum caput Claudii illius bardi, & ſegnis Imperatoris, ideoque omnibus ludos facti, & thecnis circumventi, examuſſim deſcriptioni Svetonii (7) reſpondet, qui de eo hæc habet: AUCTORITAS DIGNITASQUE FORMÆ *non defuit vel ſtanti, vel ſedenti, ac præcipue quieſcenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat, & ſpecie, canitieque pulchra*, OPIMIS CERVICIBUS; *cæterum & ingredientem deſtituebant poplites minus firmi, & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant: riſus indecens: ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus: plectra linguæ titubantia*, CAPUTQUE *cum ſemper, tum in quantulocumque actu vel maxime* TREMULUM. Quæ verba perbelle (8) Eques Paulus *del Roſſo* ſic Italice vertit: *Fu d'aſpetto, e preſenza venerabile, e d'autorità così ſtando ritto, come a ſedere, ma ſopra tutto, quando ſi ripoſava; perciocchè egli era grande di perſona, e aſſai compariſcente. Era canuto, e di bella apparenza: aveva il collo groſſo: ma nello andare alcuna volta le congiunture delle ginocchia, eſſendo deboli, ſe gli fiaccavano ſotto. E quando aveva a trattar coſa alcuna d' importanza, ovver piacevole, ch'ella ſi foſſe, perdeva per molti riſpetti aſſai di grazia, perciocchè 'l ridere non ſe gli avveniva: e nell'adirarſi aſſai più disforme, venendogli la ſchiuma alla bocca: gocciolavagli il naſo: tartagliava con la lingua: aveva ordinariamente il parletico nel capo, ma più quando egli era in cotal guiſa adirato in ogni ſuo minimo movimento*. Quæ ſane eleganter, at non omnino ἀκριβῶς translata ſunt. Quod in Muſeo exſtat Magni Ducis Etruriæ hujus Imperatoris caput marmoreum, quum provectioris illum repræſentet ætatis, magis accedit ad Svetonii delineationem, atque ad eum ſtuporem, quem his carminibus expreſſit Juvenalis (9):

. . . . . . *Minus ergo nocens erit Agrippinæ*

Bo-

(1) Sen. De Ira libr. 2. cap. 53.
(2) Svet. in Calig. cap. XI.
(3) Sen. de Ira libr. 3. cap. 19.
(4) Idem de Conſol. ad Polyb. cap. 36.
(5) Sveton. ibid. cap. 13.
(6) Idem ibid. cap. 22.
(7) Svet. in Claud. cap. 30.
(8) Paul. del Roſſo: Svetonio delle Vite de' XII. Ceſari tradotto in Toſcano da Fra Paolo del Roſſo Cavalier Geroſolimitano. Firenze 1611. in 8.
(9) Juven. Sat. 6. v. 620.

Boletus, ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, TREMULUMQUE CAPUT *deſcendere juſſit*
In cœlum, & longa MANANTIA LABRA SALIVAM.

Nam re ipſa caput illud undare videtur, & ex ore ſalivam diſtillare. Cui tremori digitum intendit Seneca, (1) dum per jocum ait: *Nuntiatur Jovi veniſſe quemdam bonæ ſtaturæ, bene canum: neſcio quid illum* MINARI; *aſſidue enim* CAPUT MOVERE, *pedem dexterum trahere*. Ac paulo poſt ſubdit:

quæ gens MOBILE *eduxit* CAPUT
Ediſſere.

Quod ſi addit illum canum fuiſſe, & oblonga ſtatura, & ſexagintaquatuor annos natum obiiſſe, hoc omnino Svetonii verbis reſpondet: *Prolixo corpore, & canitie pulchra*. Nec capite tantum nutabat, verum etiam manibus tremebat, etenim idem Seneca fingens ipſum ridicule Febrim morti damnare: *Ille autem* (inquit) *Febrim duci jubebat, illo geſtu* SOLUTÆ MANUS, *& ad hoc unum* SATIS FIRMÆ, *quo decollare homines ſolebat*. Et fortaſſe paralyſis totum corpus invaſerat, ſicut podagra quoque laborabat. Quare idem auctor ſubdit: *Videte corpus ejus diis iratis natum*. Et paulo poſt: *Itaque quamvis podagricus eſſet, &c.* Idem oſtendit hoc noſtrum caput, thoraci antiquo, & ejuſdem excellentiæ impoſitum, ac etiam excellentiori artificio cælatum, quam quod exſtat Florentiæ. Sed quamvis minus egregium, attamen ignavum, & ineptum, & vitiis refertiſſimum Imperatorem bene repræſentat, indignumque Druſi filium, & Liviæ nepotem, (2) qui malis avibus regnavit, & veneno interiit, quod illi in boletis appoſuit Agrippina. (3)

MESSALINA. XIV.

HÆc femina impudicitia famoſa, & verum libidinis monſtrum, expreſſa ad vivum conſpicitur in nummis Claudii Imperatoris, cujus quinta fuerat uxor (4). Hi porro nummi perquamraro inveniuntur cujuſque formæ, & cujuſque metalli. Unus apud Vaillantum cerni poteſt cujuſdam Coloniæ, & fortaſſe Corinthi, ut ipſe ſuſpicatur, alter vero apud Spanhemium (5) in notis Gallice ſcriptis ad Cæſares Juliani. Appellabatur autem Valeria Meſſalina, Barbati Meſſalæ filia. Ob ejus crimina neci data eſt (6) a Claudio, ſeu potius ab illius libertis, & præcipue quod publice nupſiſſet C. Silio, dum adhuc in vivis degeret Claudius. Notanda eſt comæ concinnatio, & capilli ordinatim diſpoſiti, necnon ſuper eos ornatus ille ex tæniis complicatis, quæ omnia indicia eſſe poſſunt animi mollis, & effeminati, & fœdo tot adulterorum amore corrupti, de quibus ita Juvenalis (7) cecinit:

elige quidnam
Suadendum eſſe putes, cui NUBERE CÆSARIS UXOR
DESTINAT; *optimus hic, & fortiſſimus idem*
Gentis patriciæ, rapitur miſer extinguendus
MESSALINÆ *oculis*.

Sed acrius idem Satyricus (8) in numquam expletam hujus infamis mulieris libidinem invehitur alio loco dicens:

dormire virum, quum ſenſerat uxor
Auſa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos MERETRIX AUGUSTA *cucullos,*
Linquebat comite ancilla non amplius una,
Sed nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Et quod ſequitur, quodque caſtarum aurium gratia reticetur. Idem confirmat Tacitus, (9) & Plinius, (10) multa quoque magis obſcœna referentes. Attamen, tantum valet aſſentatio, illi ſimulacra, & imagines poſitæ fuerunt, ſed decreto Senatus dejectæ, ut ait idem Tacitus (11): *Juvitque oblivionem ejus Senatus, cenſendo nomen, &* EFFIGIES PRIVATIS,

(1) Sen. de morte Claud.
(2) Dio libr. 60. p. 665.
(3) Sveton. in Claud. cap. 44. Plin. Hiſtor. libr. 22. cap. 22. & Dio libr. 60. p. 688.
(4) Svet. in Claud. cap. 26.
(5) Spanhem. in Notis ad Cæſ. Julian. p. 58.
(6) Dio libr. 60. p. 686.
(7) Juven. Sat. 10. v. 329.
(8) Idem Sat. 6. v. 116.
(9) Tacit. Ann. libr. XI. circa finem.
(10) Plin. Hiſt. nat. libr. 10. cap. 63.
(11) Tacit. ibid.

TIS, ET PUBLICIS LOCIS DIMOVENDAS. Quamobrem rarior hæc protome exiſtimanda eſt. Rariores etiam nummos eſſe diximus, verum alia quoque de cauſa, nempe quia, ut ait (1) Vaillantus: *Senatus auctoritatis ſuæ adhuc nimium ſtudioſus, Imperatorum uxoribus nummos non dedicabat.*

AGRIPPINA UXOR CLAUDII. XV.

Ex albo marmore imago hæc eſt, nobile præſtantis artificis opus. Repræſentat autem ſceleſtiſſimam illam Agrippinam, ſextam Claudii Imperatoris uxorem, & neptem, cui nupſit, poſtquam occiſa fuerat (2) Meſſalina. Hæc vero Agrippina, laudati Germanici filia ex alia Agrippina Auguſti nepte, mater fuit Neronis Imperatoris, atque illi profecto digna proles obtigit, erat enim ea pariter crudelis, libidinis impotens, ambitioſa, rapax. Primum Paſſieno Criſpo, dein Gneo Domitio Ænobarbo nupſit, ex quo Neronem ſuſcepit. Soror itidem Caligulæ fuit, cum quo inceſte rem habuit. Præcipue vero furioſa regnandi cupidine capta fuit, quare libidinoſiſſima mulier ſuis artibus Claudium irretivit, quamvis patruum: *Verum illecebris Agrippinæ* (ait (3) Svetonius) *Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi, & blanditiarum occaſionem pellectus in amorem, ſubornavit proximo Senatu, qui cenſeret, cogendum ſe ad ducendam eam uxorem, quaſi reipublicæ maxime intereſſet.* Quæ etiam legi poſſunt apud Dionem, (4) Tacitum, (5) & Zonaram. (6) Hoc autem illi facili negotio obvenit, quum eſſet valde formoſa: Καὶ γὰρ καλὴ ἦν, ut ait Dio, (7) & ut ex hoc marmore adparet. Hac ſceleſta formæ excellentia fidens tale contrahere valuit matrimonium, quod ea ipſa ætate habebatur illicitum. Hoc amplius: *Tradit Cluvius ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eo uſque provectam, ut medio diei, quum id temporis Nero per vinum, & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comptam, & inceſto paratam*; inquit Tacitus (8). Hinc nil mirum eſt, cur in hoc marmore & pulchra, & nimis compta adpareat. Hæc Agrippina, quod Auguſtæ titulo decorata fuerit, ab uxore Germanici diſtinguitur, cui hæc appellatio minime conveniebat; Germanicus enim Cæſar tantum renunciatus eſt; Auguſtæ vero appellabantur ſolæ Imperatorum uxores, & quandoque filiæ, ſorores, & nurus.

NERO. XVI. ET XVII.

Duæ hujus crudeliſſimi Imperatoris protomæ exſtant in noſtro Muſeo, prima e rudi marmore, forma quaſi coloſſea, quæ illum valde juvenem repræſentat, abſque barba, immo aſpectu jucundo, & bene compoſitum, & ad virtutem formatum animum præferente, ut ſub imperii initio fuerat, quamvis poſtmodum peſſimus evaſerit. Altera vero illum oſtendit ſævum, & minarum ſpirantem, in cujus vultu mollis per ambas malas lanugo ſuboritur. In altera malarum adparet macula, an vitio marmoris, neſcio, ſed quæ verbis Svetonii (9) mire reſpondet: *Statura* (inquit) *fuit pæne juſta, corpore* MACULOSO, *&* FOEDO: *ſubflavo capillo: vultu pulchro, magis quam venuſto.* Et Antonius Zantanus ait ipſum fuiſſe: *Mediocri corpore, fœdo, & lentiginoſo vultu.* Quod fortaſſe, ut exprimeret artifex, hoc data opera maculoſum marmor ſelegit ad ejus imaginem excudendam. Illa autem pulchritudo gratia, ac venuſtate carens adparet luculenter in prima protome. Addit idem auctor (10): *Oculis cæſis, & hebetioribus: cervice obeſa: ventre projecto: gracillimis cruribus: valetudine proſpera &c. Circa cultum, habitumque adeo prudens, ut* COMAM *ſemper* IN GRADUS FORMATAM, *peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit*; qui nimium accuratus capillorum comptus viſitur in ambabus his protomis, atque in ceteris etiam, quæ alibi exſtant, & præcipue in ea Magni Ducis Etruriæ. Quæ tamen crines comendi ratio vitio vertitur a Quintiliano: (11) *Ne intonſum* (ait) *caput*, NON IN GRA-

(1) Vaillant. Numiſm. Colon. p. 111. Et Num. Imper. Græc. p. 14.
(2) Dio libr. 60. pag. 686.
(3) Svet. in Claud. cap. 26.
(4) Dio Hiſtor. libr. 60. p. 686.
(5) Tacit. Annal. libr. 12. cap. 3.
(6) Zonar. Annal. libr. 4. pag. 185. edit. Reg.
(7) Dio ibid.
(8) Tacit. Annal. libr. 4. cap. 2.
(9) Sveton. in Neron. cap. 51.
(10) Svet. ibid.
(11) Quint. Inſt. libr. 12. cap. 10.

GRADUS, *atque anulos totum comptum: quum in eo, qui ſe non ad luxuriam, ac libidinem referat, eadem ſpecioſiora quoque ſint, quæ honeſtiora.* Multum deſudat Salmaſius, (1) ut hæc verba Svetonii: *Comam in gradus formatam*, enarret, & quidem multa erudite comminiſcitur, ſed in his ſculpturæ operibus omnia clarius apparent. In his capitibus noſtri Muſei, quum cælata fuerint ante Achaicum iter, capilli non in verticem rejecti, ac diducti ſunt, ſed in frontem demiſſi. Quamvis Senatus, Populuſque Romanus hunc Imperatorem pro portentoſo crudelitatis monſtro haberet, attamen publice illi ſtatuæ decretæ ſunt, nec Otho hoc vetuit, quin immo probavit ſecundum Plutarchum: (2) Καί τινων εἰκόνας Νέρωνος εἰς τυμφανὲς προθεμένων ὐκ ἐκώλυσε. Et, ut ait Tacitus, in animo habuit imagines Neronis reſtituere, quæ dejectæ fuerant: (3) *Creditus eſt etiam de celebranda Neronis memoria agitaviſſe, ſpe vulgum alliciendi; & fuere, qui* IMAGINES NERONIS *proponerent*; *vel* ut nonnulli legunt, *reponerent*. Sed apertius rem narrat Svetonius (4) dicens: *Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent: ac modo* IMAGINES PRÆTESTATAS *in roſtris proferrent*. Nemo autem miretur, lanuginem, quæ circa malas in protoma numeri XVII. conſpicitur, longiorem apparere, quam ferat hiſtoria; etenim Svetonius (5) narrat, eum, quum amitam ſuam ex duritia alvi male affectam viſitaſſet, & *illa* TRACTANS LANUGINEM EJUS, *ut aſſolent jam grandes natu* (ut critici emendant) *per blanditias forte dixiſſet: ſimul hanc excepero, mori volo; converſum ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens adfirmaſſe*. Quamobrem ſi ejus lanugo tractari, ac palpari poterat, & jam raſilis erat, ſi ſtatim tonſorem, qui eam raderet, appellavit, ut amitæ innueret, eam quanto ocyus mori commode poſſe, evidens eſt eam longiorem fuiſſe. Hoc etiam ex nummo apud Vaillantum (6) confirmatur, in quo Nero ferme barbatus expreſſus eſt. Præterea dicendum eſt, ejus vultus lineamenta fuiſſe ad ſævitiam, ut in hac ſecunda protome, compoſita, nam hujuſmodi fuerat ſervus ille ex Ponto, qui ſe pro Nerone poſt ejus mortem venditabat, teſte Tacito, (7) qui poſtquam dixerat eum Neroni omnino ſimilem fuiſſe, ſubdit: *Corpus inſigne oculis, comaque, &* TORVITATE VULTUS *habuiſſe*. Quod autem hæc capita juſtam excedant magnitudinem, non alienum eſt a verbis Plinii dicentis: (8) *Nero princeps juſſerat coloſſeum ſe pingi*, CXX. *pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus*; quam inſanam animi jactantiam, atque ſuperbiam imitati ſunt poſteriores Imperatores.

POPPEA. XVIII.

HÆc fortaſſe προτομὴ ſuper ceteras noſtri alioquin luculentiſſimi Muſei pluris æſtimanda eſt, quoniam etſi cum thorace ex unico, ſolidoque marmore efficta ſit, caput tamen in candido marmore efformatum eſt, veſtis vero, qua thorax circumveſtitur, ex eodem illo marmore, ſed lineis violaceis diſtincto, quod marmoris genus Italice *pavonazzetto* nuncupatur, ita ut hæc προτομὴ vulgo *cameus* appellari poſſit. Ejuſdem Auguſtæ caput exſtat quoque in Muſeo Florentino Magni Ducis, Ferdinando Etruriæ Principi dono datum ab Antonio Capello Patritio Veneto, quod quamvis non tanti faciendum ſit ob lapidis præſtantiam, attamen ob artificii excellentiam, utpote ſculptoris Græci, minime huic noſtro poſtponendum videtur. Illud vero diademate inſignitur, & cui quatuor capillorum plexus hinc, atque hinc decidunt more potius cujuſdam barbaræ reginæ, at ita quoque apparet in nummis Græcis, qui non omnino communes ſunt. Hoc noſtri Muſei caput pariter tænia quadam decoratur, quæ latior eſt diademate, & ex capillorum contextu confecta, qui tamen adſcititii eſſe poterant, ad oſtentandam majorem eorum copiam accommodati, qua ſummopere feminæ gloriantur, & hæc præcipue, quæ adeo luxui dedita erat, ut jumentis, quibus ipſamet uteretur, ſoleas argenteas induceret, teſte (9) Plinio; cui Dio (10) ſubdit mulis uſam eſſe aureis phaleris, & quotidie quinquaginta aſinas mulgere juſſiſſe, ut earum lacte lavaretur, tam impotenti flagrabat deſiderio formæ, & mollitiei, quod alibi Plinius (11) adfirmat, necnon (12) Juvenalis. De ejus genere ita (13) Tacitus: *Erat in civitate Sabina Poppea T. Ollio patre genita, ſed no-*

(1) Salmaſ. ad Svet. in Neron. cap. 51.
(2) Plutarch. in Othon. p. 1067.
(3) Tacit. Hiſtor. libr. 1. c. 78.
(4) Sveton. in Neron. cap. ult.
(5) Sveton. ibid. cap. 34.
(6) Vaill. Num. ſelect. p. 9.
(7) Tacit. Hiſtor. libr. 2. cap. 10.
(8) Plin. libr. 35. cap. 7.
(9) Idem libr. 33. cap. XI.
(10) Dio Hiſtor. libr. 62. p. 714.
(11) Plin. libr. XI. cap. 41. & libr. 28. cap. 12.
(12) Juven. Sat. 6. v. 460. &c.
(13) Tacit. Annal. libr. 13. 45.

nomen avi materni ſumpſerat , illuſtri memoria Poppæi Sabini Conſularis , & triumphali decore præfulgentis &c. Huic mulieri cuncta alia fuere præter honeſtum animum , quippe mater ejus ÆTATIS SUÆ FEMINAS PULCHRITUDINE SUPERGRESSA , *gloriam pariter , &* FORMAM *dederat. Opes claritudini generis ſufficiebant: ſermo comis, nec abſurdum ingenium:* MODESTIAM PRÆFERRE, ET LASCIVIA UTI : *rarus in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat*; & quæ deinde de hujus feminæ perverſis moribus; quæ primum nupta eſt Ruſo Criſpino, ex quo filium ſuſcepit, & deinde Othoni, qui poſtea Imperator fuit , quamquam ad breve profecto tempus. Verum hoc matrimonium in ſpeciem tantum conciliatum fuit, etenim Nero eam marito abductam, Othoni omnium ſecretorum participi demandavit potius loco depoſiti, quam nuptiarum, quum eam perdite amaſſet tunc adhuc Criſpino copulatam, ut ait (1) Plutarchus, & (2) Svetonius, & (3) Tacitus in Hiſtoria; contra vero in Annalibus (4) narrat, Othonem a latere Criſpini avulſiſſe Poppæam, juventutis flore pellectam, & cultu magnifico, & quia perquamfamiliariter eo uteretur Nero, qui poſtea eam Othoni abſtulit, quod incautus Imperatori formam, & elegantiam uxoris laudaſſet. Quod autem ad ejus pulchritudinem attinet, præterquamquod matri pulcherrimæ mulieri, ut ex Tacito (5) ipſo didicimus, adſimilaretur, ab eodem narratur, Othonem ſolitum *laudare* FORMAM, ELEGANTIAMQUE *uxoris, ſæpe ſibi conceſſam dictitans nobilitatem, pulchritudinem , vota omnium , & gaudia felicium*. Ea autem ſui ipſiuſmet formam adeo deperierat, ut ſeſe in ſpeculo aliquando contemplans, quum vultus ſpecies deſiderio ejus omnino non reſponderet, optavit prius mori, quam ſeneſcere , ſecundum (6) Dionis teſtimonium. Et quum Nero nuptias ejus differret, illum identidem ſollicitabat, audacter ſimul (7) per ironiam increpans: *Cur differret nuptias ſuas?* FORMAM *diſplicere?* Hæc autem formæ præſtantia manifeſte conſpicitur in hoc marmore , quod fortaſſe excuſum fuit una cum ſimulacris, & imaginibus aliis hujus feminæ Auguſtæ , quum Nero omnibus inceſſit gaudiis, quod illa filiam pepererit in Antii colonia, ubi ille natus erat, qua de cauſa eam Auguſtæ appellatione donavit, & Senatus turpiſſima aſſentatione omnia honorum genera illi decrevit. Quamvis illi prius etiam ſtatuæ poſitæ fuerant, ac poſtmodum dejectæ, iterumque reſtitutæ. (8) Immo idem Nero, qui eam ictu calcis occidit, ejus cadaver tanta aromatum vi cremavit , ut teſte (9) Plinio: *Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps noviſſimo Poppeæ ſuæ die concremaverit*. Inter gemmas antiquas ab Auguſtino editas, caput hujus mulieris exſtat roſis coronatum , quod quamvis præferat animi ejus mollitiam, non tamen lineamentis oris hujus Auguſtæ omnino reſpondet imago.

G A L B A. XIX.

SErvius Sulpitius Galba Romanorum Imperator ſeptimus hac refertur protome, cujus delineatio quamvis ære inciſa illum e conſpectu repræſentet, eum attamen aduncum habuiſſe naſum apparet, quemadmodum Svetonius (10) ait his verbis: *Statura fuit juſta, capite præcalvo, oculis cæruleis*, ADUNCO NASO. Sed ex noſtro marmore oris turpitudinem , non autem manuum, pedumque , quos idem Svetonius enumerat, morbos (11) comperimus: *Manibus* (inquit) *pedibuſque articulari morbo diſtortiſſimus, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere , aut tenere omnino valeret*. Nec tantum aduncus, ſed & ſimus illi naſus erat, quare de eo uſurpatum eſt carmen illud ex Atellanis: (12) *Venit io* SIMUS *a villa*. Ex hac autem aquilæ ſimilitudo, quæ in ore ejus elucebat, Auguſtus illi Imperium ominatus eſt, ut teſtatur (13) Sponius. Verum me legiſſe memini (14) vel Auguſtum, vel Tiberium Imperium illi prædixiſſe, ſed non hac de cauſa , quare neſcio, unde hoc hauſerit Sponius. Perquamrariſſimæ ſunt ejus protomæ, etenim ſeptem tantum menſes imperavit. Senatus quidem illi ſtatuam decrevit (15) *roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, qua*

(1) Plutarch. in Galba p. 1061.
(2) Sveton. in Othon. cap. 3.
(3) Tacit. Hiſt. libr. 1. cap. 13.
(4) Idem Annal. libr. 13. cap. 46.
(5) Idem ibid.
(6) Dio Hiſtor. libr. 62. in fine.
(7) Tacit. Annal. libr. 14. in princ.
(8) Idem Annal. libr. 14. cap. 61.
(9) Plin. Hiſtor. libr. 12. cap. 18.
(10) Sveton. in Galba cap. 21.
(11) Sveton. ibid.
(12) Idem ibid. cap. 13.
(13) Spon. Recherch. d'antiq. Diſſ. 24.
(14) Svet. in Galba cap. 4. Joſeph. Antiq. Judaic. libr. 18. cap. 7. Tacit. Annal. libr. 6. cap. 20. Dio libr. 57. p. 616. & libr. 64. p. 728.
(15) Svet. in Galba circa finem.

qua trucidatus eſt; *ſed decretum Veſpaſianus abolevit*. Quod ni feciſſet, qui ad partes ejus ſteterant, plures illi erexiſſent. Attamen teſte Tacito: (1) *In ſuggeſtu*, *in quo paulo ante* AUREA GALBÆ STATUA *fuerat*, *medium inter ſigna Othonem collocant*. Quod ſi ſimulacrum illi ex auro poſitum fuit, multo plura ex marmore, quum ex Svetonio (2) diſcamus, illum titulis ſtatuarum in honorem ſui poſitis adſcribere ſolitum;

PRONEPOTEM SE Q. CATVLI CAPITOLINI.

Unde eruitur nonnullas exſtitiſſe ejus ſtatuas, e quibus dejectis, quæ ſuperſunt in Muſeis capita, nobis obvenire potuerunt. In ſignis quoque militaribus ejus viſebatur imago, in quibus antiquitus Deorum locabantur, quarum vice dein Cæſaris in nummis maximi moduli. Quapropter Attilius Vergilio vexillifer cohortis comitantis Galbam, quum vidit milites ad eum occidendum curriculo advenire (3), *dereptam* GALBÆ IMAGINEM, *ſolo afflixit*, ut narrat (4) Tacitus. Ex legionibus etiam Germanicis nonnulli ſaxa in Galbæ imagines jecerunt, & legiones duæ quarta nempe, & duodevicesima eaſdem imagines diruperunt. Verum ex eodem Tacito (5) habemus *populum cum lauru*, *ac floribus* GALBÆ IMAGINES *circum templa tuliſſe*, *congeſtis in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii*, *quem locum Galba moriens ſanguine infecerat*; & Antonium Primum ſub Veſpaſiano (6) GALBÆ IMAGINES *diſcordia temporum* SUBVERSIS *in omnibus municipiis* RECOLI *juſſiſſe*. Attamen hæc protome maximi facienda, quod & ejus admodum nunc raræ ſint, & quod hæc elegantis opificii præſtantia excellat, ac omnino reſpondeat nummis, in quibus animadvertendi, ut ait Sponius, (7) & tumentes oris muſculi, & frons aſpera, quæ inſigne robur, & ſeveritatem innuunt, quemadmodum calvities libidinem, qua, & quidem fœda, & infami, laborabat, & naſus aquilinus liberalitatem, & virtutem militarem, quum Cyrus, Artaxerſes, Scanderbergus, magnus Sfortia, Muametes II. Iſmael Sofi Perſarum Rex, Selimus, & Solimanus hujuſmodi naſum haberent, ut teſtatur Johannes Baptiſta Porta, (8) qui etiam hujus Imperatoris exemplum adducit, cui addi poſſent Conſtantinus, Carolus Magnus, & Franciſcus Galliarum Rex primus hujus nominis.

OTHO. XX.

INfelicis hujus Imperatoris, quique brevi admodum tempore Romanum rexit Imperium, perquamrariſſimi ſunt nummi, præcipue ex ære, nec niſi Antiochiæ conflati inveniuntur, ideoque rariores etiam ſunt protomæ, quare magni facienda hæc noſtri Muſei, quamvis ex rudi, & arenoſo marmore effiсta, ſed quæ nummis omnino reſpondet. Nil in ejus ore barbæ apparet, quod eam quotidie velleret. Capilli in fronte tanta ἀκριβεία diſpoſiti oſtendunt, gyrum illum, quo caput quodam modo coronatur, adſcititium fuiſſe, ea ferme ratione, qua hodie quoque fronti emendicati circumponuntur capilli propriis commixti. Hoc autem Otho faciebat, quia naturales rari erant. De eo audiendus eſt Svetonius, (9) qui ita ſcribit: *Fuiſſe traditur & modicæ ſtaturæ*, *& male pedatus*, *ſcambuſque*: *munditiarum vero pene muliebrium*, VULSO CORPORE, GALERICULO *capiti propter* RARITATEM CAPILLORUM *adaptato*, *& annexo*, *ut nemo dignoſceret* (quod nunc quoque fit) *quin &* FACIEM QUOTIDIE RASITARE, *ac pane madido linere conſuetum*, *idque inſtituiſſe a prima lanugine*, NE BARBATUS UMQUAM ESSET. Hæc fortaſſe nimia, & exquiſitior formæ elegantia illi Neronis amicitiam conciliavit, de quo poſtremo Tacitus (10) ait: *Aſſumptis in conſcientiam Othone*, *& Claudio Senecione adoleſcentulis* DECORIS. Quod in Muſeo Magni Ducis Etruriæ adſervatur hujus Imperatoris marmoreum caput, ſupra quam dici poſſit, exquiſitiſſimi opificii eſt, quum in læviſſimo marmore, & ſubflavi coloris, ut alabaſtrites videatur, excuſum ſit, ac tantopere glabrum, ut pane madido linitum diceres, qui lacte fortaſſe aſinino infectus erat, monente Plinio: (11) *Cutem in facie erugari*, *& tenereſcere*, *candorem cuſtodire* LACTE ASININO PUTANT. Hæc enormis mollities, & quæ

(1) Tacit. Hiſtor. libr. 1. cap. 36.
(2) Svet. in Galba cap. 2.
(3) Tacit. Hiſtor. libr. 1. cap. 41.
(4) Idem libr. 2. cap. 55.
(5) Idem ibid.
(6) Idem Hiſtor. libr. 3. cap. 7.
(7) Spon. Recherch. diſſ. 24.
(8) Joh. Bapt. Porta Phyſiogn. libr. 2. cap. 7.
(9) Svet. in Othon. cap. 12.
(10) Tacit. Annal. libr. 13. cap. 12.
(11) Plin. Hiſtor. libr. 28. cap. 12.

& quæ minime Romanum Imperatorem deceret, acriter, ut ſolet, improbata fuit, & ludibrio habita ab (1) Juvenale illis carminibus:

Ille tenet ſpeculum PATHICI *geſtamen* OTHONIS,
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, quum jam tolli vexilla juberet;
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum virilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et CURARE CUTEM *ſummi conſtantia civis &c.*
Et PRESSUM IN FACIE *digitis extendere* PANEM.

Verum, ut in hac imagine videre eſt, formoſus ille fuerat, vel potius pulcher, atque mollitia diffluens, unde Sidonius (2) cecinit in Panegyrico Majorani:

Hunc ambit fama quiſquis ſic incipit olim
Poſt Capreas Tiberi, poſt turpia munia Cai,
Cenſuram Claudi, citharam, thalamoſque Neronis,
Poſt ſpeculi immanis pompam, quo ſe ille videbat
Hinc TURPIS QUOD PULCHER OTHO.

Et hæc (3) ferme eadem in Panegyrico Aviti iteravit dicens:

. . . . *Piſone verendum*
Galbam ſternis, Otho, ſpeculo, qui PULCHER *haberi*
Dum captas, ego turpis eram.

At Cornelius Tacitus (4) eum ab hac nota purgare ſatagit: *Non erat* (inquit) *Othonis* MOLLIS, *&* CORPORI SIMILIS *animus*. Fere, ut Nero, pinguis erat, quod monſtrat hæc imago; & Sponius (5) arbitratus eſt, illum ideo a plebe Neronis appellatione ſalutatum fuiſſe, quod ei minime ingratum fuit, teſtantibus Plutarcho, (6) & Svetonio, (7) quia Neronem vultu quodammodo referebat. Ulyſſes Aldrovandus (8) in recenſendis ſtatuis, quæ ſua ætate Romæ adhuc exſtabant, de viridario Cardinalis Cæſii, quod prope Baſilicam Vaticanam erat, ita ſcribit: *A man dritta è la teſta d'Otone Imperatore col petto veſtito all'antica. E' di marmo bianco, e maggior del naturale &c. A man manca è Poppea ſua moglie col petto veſtita, e co' capelli lunghi ſulle ſpalle. Un'altra Poppea fu moglie di Nerone*. In quo allucinatus vir alioquin in Naturæ perveſtigatione callentiſſimus, nam eadem Poppea & Othonis, & Neronis uxor fuit, ut nemo ignorat. Hic operæ pretium putamus, ſubjicere anaglyptam, eximio ſane opificio excuſam, hujus Imperatoris imaginem.

VI-

(1) Juven. Sat. 2. v. 99.
(2) Sidon. Carm. 5. v. 320. edit. Sirm.
(3) Idem Carm. 7. v. 106.
(4) Tacit. Hiſtor. libr. 1. cap. 22.
(5) Spon. Recherch. diſſ. 24.
(6) Plutarch. in Othon. p. 1067.
(7) Svet. in Othon. cap. 7.
(8) Aldrovand. Statue antiche &c.

VITELLIUS. XXI.

IN hac Tabula XXI. expreſſa eſt protoma A. Vitellii Imperatoris, cujus libido, (1) magis vero gula inſatiabiles fuerunt. Ex nummis hoc caput Vitellium repræſentare cognoſcitur, nam illis omnino reſpondet, etſi in ære maxime rari ſint, & præcipue maximi moduli, ut animadvertit Vaillantus (2), qui Patinum (3) ſequutus ait, Coloniarum nullos eſſe, & unum tantum in Ægypto (4) obſignatum profert. Quamobrem unuſquiſque intelligit, quam infrequentes ſint ejus protomæ. Illius effigiem ita delineavit Svetonius (5): *Erat in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile impulſu olim quadrigæ*. Tantam pinguedinem innuit etiam Xiphilinus (6) dicens: γαστροπίων ἦν, quæ ex eo ortum duxerat, quod ultra modum ſeſe cibis, & potu ingurgitaverat. Nam & iter faciens, & præternavigans tempus terebat (7) *inter profuſiſſimos obſoniorum apparatus*; ut idem Svetonius narrat. Hinc a Tacito (8) ejus ingluvies appellatur: *Epularum fœda, & inexplebilis libido*. Atque (9) alibi dixerat: *Torpebat Vitellius, & fortunam principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat; medio diei temulentus, & ſagina gravis*. Verum enimvero gulæ, & ventris amor illum præcipue perdidit, nec majorem hoſtem (10) habuit. *Vitellius* (ait idem Tacitus) *ventre, & gula ſibi ipſi hoſtis*. Hinc ſatis credibile eſt, quod adfirmant (11) Suidas, & Eutropius, (12) & ante omnes Svetonius, (13) *epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertire ſolitum: in jentacula, & prandia, & cœnas, comeſſationeſque &c.* Indicebat autem aliud alii eadem die; nec cuiquam minoris ſinguli apparatus quadringenis millibus nummum conſtiterunt. Quid amplius? Singulis horis, inter eundum, in ſacrificando, in popinis, domi, apud amicos, omnibus denique locis mandebat. Hinc bene per contemptum, & ludibrium a vulgo, dum adducebatur ad mortem, (14) *patinarius* eſt appellatus. Quæ omnia dicta ſint, ut enormem illam, quæ in ejus imaginibus apparet, pinguedinem non alienam eſſe, immo omnino veritati, & hiſtoriæ conſonam fuiſſe appareat. In Medicea Gaza exſtat caput marmoreum hujus Imperatoris, qui forte obeſior, ideoque in ſpeciem magis ſupinus, & ſtolidus, magiſque deformis videtur, etſi in juventa oris præſtantia Tiberium pellexerit, qui illum educavit Capreis inter ſcorta, & ſpintrias, qua infami ratione Tiberii gratiam promeruit, & patris fortunam fulcivit: (15) *Exiſtimatuſque* CORPORIS GRATIA *initium, & cauſa incrementorum patri fuiſſe*, ait Svetonius. Præter breve imperium ad hujus protomarum raritatem multum etiam contulit populare odium, quo factum, ut ejus ſtatuæ, atque imagines dejectæ fuerint, ut narrat Xiphilinus (16) in Dionis epitome, & Tacitus (17) illis verbis: *Triearchi magno tumultu* VITELLII IMAGINES *invadunt, & paucis reſiſtentium obtruncatis, ceterum vulgus rerum novarum ſtudio in Veſpaſianum inclinabat.*

VESPASIANUS. XXII.

SUmmopere laudandus eſſet hic Imperator, cujus marmoreum caput, non mediocre noſtri Muſei ornamentum affabre ſcalptum apparet; niſi avaritia ceteras ejus dotes nonnihil obſcuraſſet. Similitudo cum nummis, quorum ingens vis ubique occurrit, præter maximi moduli, elucet apertiſſime, quum vultus ejus eſſet peculiaribus, ac exſtantibus notis inſignitus, ut, teſte Svetonio, naturali ventris neceſſitati operam dare niſu quodam videretur (18): *Statura*, inquit, *fuit quadrata, compactis, firmiſque mem-*

To. II. F

(1) Tacit. Hiſtor. libr. 2. cap. 30. & 62.
(2) Vaill. Numiſm. Imp. Græc. p. 20.
(3) Patin. Imp. Rom. numiſm. p. 105.
(4) Vaill. Numiſm. ær. Colon. p. 130.
(5) Svet. in Vitell. cap. 17.
(6) Xiphil. Epitom. Dion. libr. 66. p. 743.
(7) Svet. ibid. cap. 10.
(8) Tacit. Hiſtor. libr. 2. cap. 62.
(9) Idem Hiſtor. libr. 1. cap. 62.
(10) Idem Hiſtor. libr. 2. cap. 31.
(11) Excerpt. Suidæ in Tom. 3. pag. 862. Roman. hiſtor. ſcript. Græc. minor. edit. Francof. 1590.
(12) Eutrop. libr. 7. cap. 18.
(13) Svet. in Vitell. cap. 13.
(14) Svet. ibid. cap. 17.
(15) Svet. ibid. cap. 3.
(16) Xiphilin. ex Dion. libr. 66. p. 743.
(17) Tacit. Hiſtor. libr. 3. cap. 12.
(18) Svet. in Veſpaſ. cap. 20.

membris: VULTU VELUTI NITENTIS; *unde quidam urbanorum non infacete*, *ſiquidem petenti*, *ut & in ſe aliquid diceret*: *Dicam*, *inquit*, *quum ventrem exonerare deſieris*; cui rei digitum intendens Petrarca in carmine a ſe repudiato ait:

Veſpaſian poi ALLE SPALLE QUADRE
Il riconobbi, *a guiſa d'uom*, *che* PONTA.

Verba autem Svetonii: *Statura fuit quadrata*, *compactis*, *firmiſque membris*, ita vertit Joh. Baptiſta Porta: (1) *Ceſare fu di membra forti*, *e muſcoloſe*: *Veſpaſiano di ferme*, *e ſode membra*, *e fu eletto per la guerra di Giudea per la ſua gagliardezza*, *e valore*. Quo corporis habitu præditum τετραγώνιον Græci appellarunt. Id itaque in hoc capite conſpicimus; uti etiam illud, quod ſubdit idem Hiſtoricus: (2) *Multa joco tranſigebat*; *erat enim dicacitatis plurimæ*, *& ſic ſcurrilis*, *& ſordidæ*, *ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret*; ejus enim vultus eſt mire ad urbanitatem, riſumque compoſitus. Si quis nugis eorum, qui de facierum phyſiognomia ſcripſerunt, animum intendere vellet, poſſet multa congerere, quibus ex ridente Veſpaſiani vultu animi naturam, ingeniique indolem portendi dicendum eſſet. Etenim hujuſmodi vultus ſecundum Raſim, & Michaëlem Scotum, ut refert (3) Cornelius Ghirardellius in Cephalogia Phyſiognomica, innuit hominem humanitate præditum, alienæ voluntati obſequentem, in opere navum, firmum, ſagacem, perſpicua mente, facilem, & laborioſum, qualis revera fuit Veſpaſianus, quod patet ex Svetonio, & Victore, (4) & ex his, quæ breviter, ſed ἐγκωμιαστικῶς ſcribit de illo Tacitus (5): *Veſpaſianus acer militiæ*, *anteire agmen*, *locum caſtris capere*, *noctu diuque conſilio*, *ac ſi res poſceret*, *manu hoſtibus obniti*: *cibo fortuito*, *veſte*, *habituque vix a gregario milite diſcrepans*. Videſis Plinium in Præfatione Hiſtoriæ naturalis, Dionem (6) quoque, ſeu Xiphilinum, qui Veſpaſianum ἐπιεικέστατον, ideſt *mitiſſimum* nominat; necnon Suidam (7) adfirmantem nullum ante ipſum fuiſſe Imperatorem οὔτε δαψιλέστερον, οὔτε πρὸς τὸ ἴσον τι, καὶ δίκαιον ἐξητασμένον τὴν πρὸς τὰς δωρεὰς ἐλευθεριότητα: *neque largiorem*, *neque magis reſpicientem ad æqualitatem*, *& juſtitiam in premiis diſtribuendis*.

T I T U S. XXIII.

IN adoleſcentia pulcher admodum fuit Titus, & creſcente ætate crevit oris pulchritudo cum Imperatoria majeſtate copulata. Ex hac (8) Sponius arbitratus eſt, Imperium illi ominatum fuiſſe a quodam metopoſcopo, quo nomine Svetonius (9), & Plinius (10) appellant eos, qui ex aſpectu futura prædicebant. De Tito hæc habet idem Svetonius (11): *In puero ſtatim corporis*, *animique dotes explenduerunt*: *magiſque*, *ac magis deinceps per ætatis gradus*, *forma egregia*, *& cui non minus* AUCTORITATIS *ineſſet*, *quam* GRATIÆ: *præcipuum robur*, *quamquam neque procera ſtatura*, *& ventre paullo projectiore*. Et Cornelius Tacitus (12) addit: *Augebat famam ipſius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax*, DECOR ORIS *cum quadam* MAJESTATE. Denique in hoc capite benefica illa indoles interlucet, qua jure, & merito ab univerſis populis acclamari meruit: *Deliciæ generis humani*, ut a Svetonio (13) didicimus, & ab Eutropio (14), qui eum ſummis laudibus extollit. Hoc noſtrum marmor, quantumvis rude, nil diſcrepat in oris ſimilitudine ab imaginibus in nummis excuſis, & a ceteris protomis, quæ alibi adſervantur, quarum una in Muſeo Magni Ducis Etruriæ. Unam etiam enumerat Aldrovandus, quæ exſtabat in Palatio Cancellariæ, unica fortaſſe hîc Romæ, nam nullius mentionem facit præter hujus tantum; ex quo arguitur pauciſſimas fuiſſe, quod juvenis deceſſerit. Ideoque vultus ejus juvenili ætate ſculptus apparet, qui tamen, ut Sponius (15) animadvertit, Veſpaſianum quamvis ſenem referre videtur.

JU-

(1) Jo. Bapt. Porta Phyſiogn. libr. 2. cap. 38.
(2) Svet. in Veſpaſ. cap. 22.
(3) Corn. Ghirard. Ceſal. ſiſion. deca 6. diſcorſ. 8.
(4) Aurel. Vict. de Cæſ. epitom. cap. 9.
(5) Tacit. Hiſtor. libr. 2. cap. 5.
(6) Dio Hiſt. libr. 66. pag. 749.
(7) Suid. Excerpt. n. XI.
(8) Spon. Recherch. diſſ. 24.
(9) Svet. in Tit. cap. 2.
(10) Plin. Hiſtor. libr. 35. cap. 10.
(11) Svet. in Tit. cap. 3.
(12) Tacit. Hiſtor. libr. 2. cap. 1.
(13) Svet. in Tit. cap. 1.
(14) Eutrop. libr. 7. cap. 21.
(15) Spon. Recherch. diſſ. 24.

JULIA TITI. F. XXIV.

DUas uxores (1) habuit Titus Imperator, altera fuit Arricidia Tertulla, qua vita funċta alteram matrimonio ſibi junxit, nomine Martiam Furnillam, quam poſtea repudiavit, ſuſcepta tamen ex ea prius Julia, cujus hic imaginem exhibemus, ſimilem illi, quæ in nummis apud Patinum, (2) Patarolum, (3) & Vaillantum (4) conſpicitur. Hæc nupſit Sabino, ſed antea oblata fuit Domitiano, immani illi belluæ, qui ei repulſam dedit, quia Domitiam deperibat. Poſtea (5) ultro ipſam jam Sabini uxorem corrupit, nil veritus patrem ejus adhuc vivum, & ſummam rerum regentem. Sed defunċto Sabino ejus marito, & patre Tito, publice eam adamavit, & impudentiſſime pro uxore apud ſe retinuit, ut adfirmat (6) Philoſtratus, & Xiphilinus, (7) quod miſeræ illi cauſa fuit interitus, quum eam coëgerit conceptum a ſe abigere; ut etiam innuit Juvenalis: (8)

Quum tot ABORTIVIS *fœcundam* JULIA VULVAM
Solveret, *& patruo ſimiles effunderet offas*.

Et (9) Plinius junior idem quoque confirmat. Inter Medicea toreumata hujus feminæ exſtat marmoreum elegantiſſimi operis caput, & quod notandum eſt, eadem prorſus comæ concinnatione. Hoc noſtrum e Pario marmore præſtantiſſimo exſculptum eſt, & non minori artificis induſtria, atque excellentia excuſum. Effoſſum fuit in Villa DD. Caſaliorum prope S. Stephani rotundas ædes. In baſi hujus protomæ hæc leguntur: *Ex dono Reverendiſſimi P. Joſephi Mariæ Fonſeca ab Ebora Exgeneralis Ord. Min. S. Franciſci*; nunc autem Epiſcopi Portucalenſis in Luſitania; ea vero in noſtro Muſeo adſervatur beneficio BENEDICTI XIIII. Pont. Max. Duas hujus feminæ protomas Romæ ſua tempeſtate vidit Aldrovandus, alteram in domo Vincentii Stampæ in platea Fliſci, ſeu Cardinalis Trivultii, alteram in ædibus Cardinalis Carpenſis viri principis, omnique commendatione digni, qui quotquot potuit antiqua cujuſque generis monumenta collegit, ne temporis injuria abſumerentur, inter quæ Deorum, & virorum illuſtrium capita, & ſimulacra, anaglypta, numiſmata, codiceſque perantiqui adnumerantur, velut ille auro contra æſtimandus Virgilianus Codex, qui in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana proſtat, quemque edidit V. Cl. Petrus Franciſcus Fogginius, & cujus hiſtoriam contexuit eruditiſſime Cardinalis Noriſius immortalis memoriæ vir in Cenotaphiis Piſanis.

DOMITIANUS. XXV.

EX hac monſtroſi Imperatoris effigie, quem Julianus παραβάτης merito φονικὸν θηρίον nuncupat, colligitur, externa vultus lineamenta non utique certum eſſe animi, morumque indicium, quod ſi ſunt, fateri oporteat, ſæpe perverſam educationem, malos amicorum mores, aliaſve malignas rerum cauſas optima illa femina ſubfocare, quæ benigna, providaque natura in nos jecerat. *Domitianus enim* STATURA *fuit* PROCERA, VULTU MODESTO, RUBORISQUE PLENO, *grandibus oculis*, *verum acie hebetiore*: *præterea* PULCHER, *ac* DECENS *maxime in juventa*, *& quidem toto corpore*, *exceptis pedibus*, *quorum digitos reſtrictiores habebat*: *poſtea* CALVITIO *quoque* DEFORMIS, *& obeſitate ventris*, *& crurum gracilitate*, *quæ tamen ei valetudine remacruerant*; ut ait Svetonius (10). Hac ſpecie populum Romanum fefellit ſub ipſo Imperii initio, ut ſic jaċtari in Senatu quiverit: *Uſque adhuc certe animum meum probaſtis*, *&* VULTUM (11). Sed quam a vero aberraverint, aſpeċtu decepti, Senatus, Populuſque, ſtatim compertum eſt, quum ejus mores palam apparuerunt. Hinc Tacitus (12) ait: *Quo die Senatum ingreſſus eſt Domitianus*, *de abſentia patris*, *fratriſque*, *ac juventa ſua pauca*, *& modica diſſeruit*: DECORUS HABITU, ET IGNOTIS ADHUC MORIBUS: *crebra* ORIS CONFUSIO PRO MODESTIA ACCIPIEBATUR. Quamvis

(1) Svet. in Tit. cap. 4.
(2) Patin. Imper. Numiſm. p. 116.
(3) Patarol. Series Auguſt. n. XI.
(4) Vaill. Num. Imp. Rom.
(5) Svet. in Domit. cap. 22.
(6) Philoſtr. in Vit. Apoll. libr. 7. cap. 3.
(7) Xiphil. Epit. Dion. libr. 66. p. 746. libr. 67. p. 760.
(8) Juven. Sat. 2. v. 31.
(9) Plin. libr. 4. epiſt. XI.
(10) Sveton. in Domit. cap. 18.
(11) Idem ibid.
(12) Tacit. Hiſtor. libr. 4. cap. 4.

vis in hoc marmore calvitium, de quo Svetonius loquitur, non appareat, attamen præter eumdem Svetonium ab Juvenale (1) quoque memoratur his carminibus ejus calvities:

Quum jam ſemianimum laceraret FLAVIUS *orbem*
Ultimus, *&* CALVO *ſerviret Roma Neroni*.

Ac itidem Auſonius (2):

Et Titus Imperii felix brevitate ſecutus
FRATER, *quem* CALVUM *dixit ſua Roma Neronem*.

Quod ſculptor minime illum calvum finxerit, in cauſa fortaſſe eſt vel juventa, quam præfert, vel, quod magis veroſimile eſt, artificis timor, ne Domitiano offenſo ipſe pœnas lueret, nam depilatum caput, quantum poterat, occulebat; etenim calvities probro habebatur; quare Ovidius (3) cecinit:

Turpe pecus mutilum, *turpe eſt ſine gramine campus*,
Et ſine fronde frutex, *&* SINE CRINE CAPUT.

Verum ſi quis alius, hæc efferata bellua ad iram procurrebat ob hoc innoxium naturæ vitium. Scribit enim Svetonius (4): CALVITIO ITA OFFENDEBATUR, *ut in contumeliam ſuam traheret*, *ſi cui alii joco*, *vel jurgio objectaretur*, *quamvis libello*, *quem de cura capillorum ad amicum edidit*, *hoc etiam ſimul illum*, *ſeque conſolans inſeruerit*:

Οὐχ' ὁράας οἷος κἀγὼ χαλός τε μέγας τε:

eadem me tamen manent capillorum fata, *&* *forti animo fero comam in adoleſcentia ſeneſcentem*. *Scias nec gratius quidquam decore*, *nec brevius*. Eumdem capillorum defectum animadvertimus etiam in Julio Cæſare, qui illum ægre tulit, quòd indicium haberetur hominis libidini dediti. Idem adfirmat Joh: Baptiſta Porta (5), qui hoc naturæ vitium tribuit quoque Tiberio, Caligulæ, Othoni, & Galbæ, qui omnes perdite in luxuriam procubuere. Animadvertit Dio, (6) Domitiani ſtatuas dejectas fuiſſe, ſeu liquatas, ac in monetam converſas. Multæ tamen protomæ ſuperſunt hujus Imperatoris, quamquam ſceleſti. Caput ejus enormis magnitudinis exſtat hic in Capitolii parte dextera, quod ſuperpoſitum fuit ſtatuæ alicui coloſſeæ. Svetonius (7) etiam mentionem facit de quodam ejus ſimulacro, ſuper quo extendens alas mortem Antonii aquila præſagivit.

DOMITIA. XXVI.

ET artificio, & raritate inſignis eſt hæc protome ex uno ſolido, alboque marmore excifa, quæ imaginem refert Domitiæ Longinæ, Corbulonis filiæ, uxoris quondam Ælii Lamiæ, qui a Xiphilino (8) Lucius Lamia Æmilianus appellatur, quæ poſtea Domitiano nupſit. Præclara quidem ſtirpe, nobilique orta, ut ex Horatio (9) colligitur, qui hujus familiæ gloriam ad cœlum vehit. Ex hoc Imperatore filium nacta eſt, de quo multa præclara ominavit Martialis (10), turpiter Domitiano aſſentando:

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Julo,
Vera Deum ſoboles naſcere, *magne puer*:
Cui pater æternas poſt ſæcula tradat habenas,
Quique regat Orbem cum ſeniore ſenex:
Ipſe tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et tantam Phryxi Julia nebit ovem.

Domitius Calderinus non ſpernendus Martialis interpres, ut vera fatear, credidit hæc carmina non ad filium Domitiæ reſpicere, ſed ad eum, qui naſciturus erat ex Julia Titi filia, & Domitiani ex fratre nepte, in cujus puerperio hoc poëta epigramma pepigerit. Sed Ramirus de Prado, & Matthæus Raderus, aliique illuſtres hujus carminis interpretes certis rationibus Calderini reiciunt enarrationem, quum longe a vero abhorreat, poëtam aſſentationi maxime deditum jactaſſe turpem inceſtum, quem Domitianus occulere ſtudens, eam abortum facere coëgit, ex quo, (11) ut diximus, enecta eſt. Et quid potuit

(1) Juven. Sat. 4. v. 37.
(2) Auſon. Cæſ. monoſt.
(3) Ovid. de A. A. libr. 3. v. 249.
(4) Svet. in Domit. cap. 18.
(5) Joh. Bapt. Porta Phyſ. libr. 3. cap. 7.
(6) Dio libr. 68. p. 763.
(7) Svet. in Domit. cap. 6.
(8) Dio, ſeu Xiphil. libr. 66. p. 746.
(9) Horat. libr. 3. Od. 17.
(10) Martial. libr. 6. epigr. 3.
(11) Vide ſupra in Julia num. XXIV.

tuit Martialis præcognoſcere filium illum, qui nec poſtea natus eſt, maſculum futurum? Ad filium igitur reſpexit ex noſtra Domitia ſuſceptum, Cæſaris appellatione donatum, ut ex eodem Poëta (1) intelligimus, dicente:

Suſpicor has PUERI CÆSARIS *eſſe nives*.

Hoc autem confirmat Domitiæ nummus aureus, & alius argenteus a Torrentio, aliiſque prolatus, in cujus poſtica parte puellus nudus conſpicitur, ſuper globum inter aliquot ſidera ſedens cum inſcriptione DIVUS. CÆSAR. IMP. DOMITIAN. F. ut manifeſte appareat filium Domitiæ hoc honore inſignitum. Diſputant inter ſe eruditi, quo Domitiani conſulatu ortus ſit hic puer, quamvis in ſecundo adfirmet (2) Svetonius; ſed hæc extra oleas. Ad Domitiam autem ſpectat, eam Auguſtam appellatam fuiſſe, ac deinde, quod Domitiano innotuerit eam perdite amare Paridem hiſtrionem, de ejus cæde conſuluiſſe. Verum capto tandem conſilio, (3) ex Urſi ſententia eam tantum repudiavit, at poſtmodum intra breve tempus (4) eam reduxit, teſte eodem Svetonio. Quod enarrans V. Cl. Pitiſcus (5) ſubdit: *Reduxit, non ergo interfici juſſit, ut juſſiſſe dixit Xiphilinus*: ἐκέλευσε τούτους σφάττεσθαι. Sed Xiphilinus narrat Domitianum non utique Domitiam, ſed Paridem in media via, eoſque, qui floribus, unguentiſque eum locum ornabant, ubi occiſus eſt, interfici juſſiſſe: Τὸν Πάριν τὸν ὀρχηστὴν ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ δι' αὐτὴν φονεύσας. Ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ καὶ ἄνθεσι καὶ μύροις τὸν τόπον ἐκεῖνον ἐτίμων, ἐκέλευσε τούτους σφάττεσθαι. Guilielmus Blancus, Leunclavius, & Xylander vertunt: *Poſtquam accepit eum locum a multis hominibus floribus, frondibuſque, &* VIRGULTIS *ornari, eos interfici juſſit*: quod fortaſſe legerint μύρτοις, ſed male. Florentiæ quoque per ducentos, & amplius annos flores, frondeſque clam ſpargebantur, ubi ſupplicio affectus eſt Hieronymus Savonarola celeberrimus ille Dominicanæ familiæ alumnus.

NERVA. XXVII.

HUjus Imperatoris, quamvis probitate præditi, ſummopere raræ ſunt protomæ, vel quod ſexdecim tantum menſibus imperaverit, vel quod vetaverit, ne ſtatuæ illi ponerentur, ut ait (6) Dio. Ex Tacito tantum diſcimus, Neronem imaginem ejus adhuc privati in Foro collocaſſe: *Tigellinum, &* NERVAM *ita extollens, ut ſuper triumphales in Foro imagines apud Palatium quoque* EFFIGIES EORUM *ſiſteret*. Hæc (7) Tacitus. Caput hujus Imperatoris marmoreum exſtat in Muſeo Magni Ducis Etruriæ, quo nihil perfectius, magiſque ſimile vero, & quod magis antiquitatem redoleat. Diu hoc capite caruit ſeries illa Imperialium protomarum, ſed tandem opera Pauli Falconierii viri eruditiſſimi completa eſt, qui ab Hercule Ferrata, præclari nominis ſculptore, magni hoc caput emit; ex quo etiam luculentius apparet quam raræ ſint hujus Imperatoris imagines. Hæc noſtra elegans eſt, & egregie cælata, ſed non eo, quo uſi ſunt Græci ſculptores, artificio, qui ad naturam propius accedebant, artemque omnem occulebant gnaviter. In hac vero noſtra artificium, egregium quidem, & perfectum, ſed tamen apparet, ut non antiqui cujuſdam Græci artificis, ſed potius recentioris, ut puta Alexandri Algardi, opus diceres; ſi crinium cælaturam, & quam prompte vultum convertat ſimul, & extollat animadvertas. Fuit Nerva, narrante Dione, (8) corpore infirmo tum ſenectute, tum quod ſtomacho laboraret, cibumque identidem vomeret, quamobrem ejus imagines, ut hæc noſtra, macræ ſunt, ac macilentæ. Idcirco etiam non tanti habitus eſt, ut ejus dotes mereri videbantur, quamvis non adeo eſſet annis gravatus, ut ſenex capularius dici poſſet, quum nonnulli adfirment eum 63. annos natum obiiſſe; ſed Anna Daceria (9) putat annos 65. natum Imperatorem fuiſſe renunciatum. Et B. Hieronymus, qui illum præ omnibus ſeniorem facit, non ultra quam 72. annos illi tribuit. In ejus quidem vultu quammaxime elucet prudentia illa, & abſtinentia, quam miratus eſt Aurelius (10) Victor his ver-

(1) Mart. libr. 4. epigr. 3.
(2) Sveton. in Domit. cap. 3.
(3) Xiphil. Epitom. Dion. in Domitian. p. 231. edit. H. Stephan. 1592. vel Dio l. 67. p. 760.
(4) Svet. ibid.
(5) Pitiſc. in Notis ad Sveton. in Domit. c. 4. n. 16.
(6) Dio libr. 68. p. 769.
(7) Tacit. Annal. libr. 15. cap. 72.
(8) Dio ibid.
(9) Anna Dac. in Not. ad Eutrop. libr. 8. cap. 1.
(10) Aurel. Vict. de Cæſ. num. XII.

verbis: *Quid enim Nerva Cretenſi* (l. *Narnenſi*) PRUDENTIUS *magiſque* MODERATUM? Ex hac ipſa moderatione a Plinio (1) juniore appellatur *mitiſſimus ſenex*. Itidem Eutropius (2) de eo ſcribit: *Senex admodum &c. Imperator factus, æquiſſimum ſe, & civiliſſimum præbuit*. Quamvis ſenex, vir bene formatus apparet, nam formæ elegantia aliquando in ſenectute quoque elucet, ut ait de eo loquens Julianus, qui in laudem hujus Imperatoris ſubdit, ipſum acceſſu facilem, & inſuper (3) juſtiſſimum fuiſſe: 'Εντυχεῖν πρᾳότατος χρηματίσαι δικαιότατος. Hinc etiam a Martiale *placidum* (4) audit:

Quanta QUIES PLACIDI, *tanta eſt facundia* NERVÆ,

quod inter cetera oſtendit illud quoque, quod ab exilio Beatum Johannem Evangeliſtam revocaverit, ut teſtatur (5) Suidas. Sponius (6) deſcripſit, vel ut melius dicam, imaginem pinxit hujus Imperatoris ex immenſa nummorum vi, quam tot annis obſervaverat, quamque delineationem hìc me attuliſſe minime, ut puto, lectorem meum pigebit. Hæc itaque ille: *Nerva eſt repreſenté dans ſes monnoyes avec un viſage ſec & ridé, des yeux enfoncez, & le menton pointu. Il eſtoit fort âgé, quand il parvint à l'Empire, & tourmenté d'une grande debilité d'eſtomac, qui contribuoit à l'amaigrir par le defaut de digeſtion, ce qui changeoit ſon viſage, & cachoit ſes inclinations. Quoy qu'il euſt le nez grand & aquilin, il n'etoit pourtant pas vaillant. C'etoit plutôt en luy une marque de grande bonté, car Nerva étoit un Prince extremement timide, mais fort bon. Auſſi la phyſionomie tient plutôt du mouton, qui eſt un animal doux, que de l'aigle, qui eſt un oyſeau courageux. Il avoit le viſage aſſez long, & le nez comme celuy d'un mouton. On trouve cependant pluſieurs ſignes d'inclination à la colere dans ſes traits, & dans l'habitude de tout ſon corps: entr' autres le viſage maigre & menu, la téte pointuë, la taille haute, le nez crochu, les ſourcils voutez, & le menton ſec & aigu. En effet il mourut pour s'étre mis un peu trop en colere contre un certain Regulus.*

TRAJANUS. XXVIII.

DUo in noſtro Muſeo exſtant hujus magnopere laudati Imperatoris capita, cujus laudes *vix, ægreque exprimere valuerunt ſummorum Scriptorum miranda ingenia*, ut cum (7) Aurelio Victore loquar; ambo ſimillima, ac ἐπιμελῶς referentia ejus vultum, qualem in nummis conſpicimus, quorum magnam copiam habemus. Alterum vero horum e ſolido marmore eſt una cum thorace. In eodem Muſeo exſtat aliud ejuſdem caput forma quaſi coloſſea, corona civica ornatum; & huic magnitudine ferme æquale conſpicitur alterum in Ædibus Farneſianis. Erat hic Imperator firmis viribus, ſecundum Dionis (8) teſtimonium, quod ab Eutropio (9) confirmatur, qui eum *inuſitatæ civilitatis, & fortitudinis* laude commendat. Aurelius (10) autem Victor ante Eutropium ſcripſerat, quae hic fere ad verbum in ſuam derivavit hiſtoriam, in Trajano ſcilicet regias omnes eluxiſſe virtutes, *ſanctitatem domi*, IN ARMIS FORTITUDINEM, *utrobique prudentiam*; quod innuit etiam Julianus (11) dicens, Trajanum victoriarum trophæa ſuper humeros portare, quæ de Getis, & Parthis retulerat, quod omnino nummis reſpondet, in quibus modo nudus, modo armatus conſpicitur trophæis onuſtus, quum eſſet, ut idem (12) Aurelius ait, quoque *patiens laboris*. Cui labori par erat, quod procera eſſet ſtatura, membris prægrandibus, ut teſtatur (13) Plinius junior: *Tu ſola*, inquit, CORPORIS PROCERITATE ELATIOR *aliis*, & EXCELSIOR. Sponius (14) verò ſic ejus vultum expreſſit: *A la tête faite en maillet, plate par deſſus, avec les éminences devant & derriere aſſez conſiderables; le front large, & le cou charnu, marques infallibles plutôt d'un homme prudent, vigoureux, & ferme dans ſes deſſeins, que d'un eſprit vif & brillant*. Quod minime diſcrepat a verbis Victoris (15) dicentis: *Tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quaſi temperamento quodam virtu-*

(1) Plin. in Paneg. cap. 6.
(2) Eutrop. libr. 8. cap. 1.
(3) Julian. in Cæſar.
(4) Martial. libr. 8. epigr. 70.
(5) Suidas in v. Νέρβας.
(6) Spon. *Recherch.* diſſ. 24. p. 379.
(7) Aurel. Vict. Epit. 13.
(8) Dio Hiſt. libr. 68. p. 772.
(9) Eutrop. libr. 10. in Trajan.
(10) Aurel. Vict. Epit. cap. 13.
(11) Julian. in Cæſar.
(12) Aur. Vict. ibid.
(13) Plin. in Paneg. cap. 22.
(14) Spon. *Recherch.* diſſ. 24. p. 380.
(15) Aurel. Vict. Epit. cap. 13.

Tav. I. pag. 33. delle Osservazioni al Tomo II. del Museo Capitolino



PLOTINA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Silvestro Pomarede inc.*

tutes miſcuiſſe videretur &c. Quamvis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ , moderateque eloquens &c.. Subdit vero (1) idem Sponius: *Il avoit la téte aſſez groſſe*, *le cou court*, *la taille mediocre*, *& un peu materielle*; quod præcipue in hac protoma inſpicitur manifeſte. Simulacrum ejus armatum tempore, quo Romæ degebat Aldrovandus, (2) exſtabat in Ædibus V. Cl. Latini Juvenalis in Regione Regulæ apud Campum Floræ, quod etiam clamyde amiciebatur, & ſtatura erat juſto majore. Quid ni alterum horum capitum coloſſea forma , ſeu Farneſianum , ſeu Capitolinum ex hoc ſimulacro fuerit avulſum ? Duas etiam protomas hujus Imperatoris memorat idem Aldrovandus (3) , unam domi cujuſdam propolæ, alteram apud D. Antonium Gabrielium prope Minervam.

PLOTINA. XXX.

RAra ſunt hujus prudentiſſimæ feminæ ſimulacra, quæ ab Aurelio (4) Victore Pompea Plotina dicitur, fuitque uxor Trajani, multis virtutibus, & præcipue ſagacitate prædita, quam ſub ipſo Imperii initio prætulit, nam dum Palatium ingrederetur, in gradibus ad populum converſa (5) præfata eſt, talem ſe ingredi, qualem cupiebat egredi. Quamobrem jure a (6) Plinio *ſanctiſſima femina* appellatur. Quidam tamen dixerunt, eam Imperium Hadriano per ſimulationem procuraſſe, ſuppetias illi ferendo, ut a Trajano videretur adoptatus. Hoc amplius, omnia commenta eſſe, quod ipſum perdite amaret; quæ confirmat Dio (7) auctoritate innixus Aproniani patris ſui, a quo hæc omnia acceperat, qui ea bene norat, quum Siciliæ imperaſſet. Procul dubio eſt, Hadrianum eam in magna habuiſſe veneratione (8), & Nemauſi in ejus honorem baſilicam ædificaſſe. Auguſtæ appellationem recuſaſſe, a Plinio (9) diſcimus. Hoc autem factum eſt anno centeſimo æræ Chriſtianæ; ſed ex (10) nummis intelligimus ante annum 112. Auguſtam appellatam fuiſſe, qui nummi etſi in ære perquam rari ſint, attamen nonnulli exſtant (11) maximi moduli, ex quibus vera effigies eruitur, quæ noſtræ protomæ ex candido marmore effictæ omnino reſpondet. Sæpius laudatus Aldrovandus, qui exquiſite protomas enumerat ea ætate Romæ exiſtentes, nullam hujus Auguſtæ recenſet, adeo raræ ſunt. In hoc Muſeo olim quoddam ſervabatur caput , quod hanc feminam referre credebatur , ſed hinc nuper ſublatum eſt, & ejus loco hoc poſitum , quod magis imagini in nummis cuſæ ſimile videretur, quorum duo in Theſauro (12) Brandemburgico , & unus in Muſeo (13) Svecorum Reginæ , aliuſque apud (14) Vaillantum conſpiciuntur . Comarum concinnatio, quæ in ſupradictis nummis apparet, parum, aut nihil differt ab ea, qua ornatur hæc protoma, & præcipue ſi animum advertas ad nummos ejuſdem Theſauri , & Reginæ Svecorum . Attamen hic graphidem ære expreſſam damus protomæ illius , quam ſublatam fuiſſe diximus, tum quod in noſtro Muſeo adhuc adſervatur , tum ut morem geramus eruditis illis, qui in ea lineamenta oris apparere autumant hanc feminam præferentia, tum ut alii videre poſſint , quam merito eam rejecimus , quum ita diverſe comptam inſpiciant, tantaque elegantia, nimis profecto exquiſita, ut potius feminam deceat ambitione, & luxu diffluentem, & quæ intuentes adlicere ſtudeat, quam matronam gravem, modeſtam, & a faſtu, atque animi elatione alienam, ut erat Plotina, cui magis convenit ea comæ concinnatio, quam in hac Tabula XXX. videmus; quæ etiam nummis reſpondet, ut dictum eſt, & protomæ admodum eleganti, quæ in Muſeo Mediceo cernitur; quod nequaquam dici poteſt de hac, quam hic damus.

MAR-

(1) Spon. ibid.
(2) Aldrov. *Statue di Roma* pag. 164.
(3) Idem ibid. pag. 177. & 19.
(4) Aur. Vict. Epit. 42.
(5) Dio Hiſt. libr. 68. p. 771.
(6) Plin. libr. 9. epiſt. 28.
(7) Dio Hiſtor. libr. 69. p. 780.
(8) Spart. & Caſaub. in Notis ad Hadrian.
(9) Plin. in Paneg. cap. 84.
(10) Mediob. Imp. Rom. numiſm. n. 43.
(11) Vaill. Numiſm. Imp. præſt. tom. 1. p. 53.
(12) Beger. Theſ. Brandemb. T. 2. p. 652.
(13) Havercamp. Medaille de la Rein. Chriſt. Tab. XI.
(14) Vaill. Numiſm. præſt.

MARCIANA. XXXI.

HÆc imago ſimilis eſt illi, quæ cernitur in nummis Marcianæ, ſororis Trajani, ut legitur in arcu Anconitano. Horum nummorum unum videre poſſumus in Muſeo (1) Ruzinio, duos vero apud Vaillantum (2). Hæc matrona pro magnis ſuis meritis a Plinio commendatur, ubi Trajanum adloqutus: (3) *Soror autem tua* (inquit) *ut ſe ſororem eſſe meminit? ut in illa tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor agnoſcitur: ut ſi quis eam uxori tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum ſit efficacius ad recte vivendum bene inſtitui, aut feliciter naſci*. Et poſtquam & Plotinam, & Marcianam laudaſſet, ſubdit: *Obtulerat illis Senatus cognomen Auguſtarum, quod certatim deprecatæ ſunt*. Et quamvis hunc honorem (4) recuſarint, ambæ tamen hac appellatione poſt mortem decoratæ fuerunt a Senatu, & Populo Romano, ut de Plotina jam diximus. Inſuper Marciana honorem habuit Circenſium, quod ex inſcriptionibus, & ex nonnullis quamvis raris nummis apparet. Qui exſtat in Gaza Medicea hanc epigraphem habet: DIVA AUGUSTA MARCIANNA, quem referens (5) Spanhemius, monetarii σφάλμα arbitratur N duplicatam. Filiam habuit nomine Matidiam, ex qua natæ ſunt altera Matidia, & Sabina uxor Hadriani, ut Vaillantus (6) animadvertit. Quum tot fuerit virtutibus prædita, totque honoribus mactata, ut (7) urbs Mæſiæ caput a Trajano (8) ædificata, ex ejus nomine Marcianopolis appellaretur, nil mirum, quod & in marmore ejus imago cælata fuerit. Hæc noſtra intortis cincinnulis ornata conſpicitur, quos Varro (9) *cirros* nominat.

MATIDIA. XXXII.

EX candido marmore effícta eſt hæc Matidiæ protome. Similis eſt in oris lineamentis Trajano avunculo, ac omnino reſpondet rariſſimis hujus Auguſtæ nummis. In hoc capite valde notanda eſt capillorum concinnatio, quæ in uſu fuit uſque ad noſtra tempora, quod ad eorum nexum ſpectat duplici gyro in ſummitate obvolutum; non autem quod ad cincinnos catenatos, quibus triplici ordine frons circumdatur, quod omnino ſingulare videtur. Ambæ hæ Auguſtæ Marciana, & Matidia, uti etiam in Julia Titi animadvertimus, capillos eodem fere modo cincinnatos habent, cirriſque ſcatentes, nam ea ætate mos, & ratio capillos comendi hæc fuerat, ut ex συγχρόνοις Scriptoribus compertum eſt, quorum loca jam ab eruditis, qui circa hoc argumentum verſati ſunt, congeſta fuere. Alia protome in hoc Muſeo exſtat, quam nonnulli putantes Matidiam referre, in hac Auguſtarum ſerie locarunt, ſed hinc ſublata, quæ nunc hic cernitur, ejus vice poſita eſt, quia magis nummis, quod ad oris ſimilitudinem reſpondet. Hujus tamen, quæ rejecta fuit, delineationem ære inciſam, ut etiam de ea Plotinæ fecimus inter præſentes Animadverſiones, ut morem gerentes eruditis nonnullis, & quia in hoc Muſeo extra ordinem adſervatur, attulimus.

HA-

(1) Occo Tab. XI. n. 9.
(2) Vaill. Numiſm. Imper. præſt. T. I. p. 55.
(3) Plin. Panegyr. cap. 84.
(4) Vide Tillem. in Trajan. art. I.
(5) Spanhem. de præſt. Numiſm. Diſſ. XI. p. 3[illegible]
(6) Vaill. Numiſm. præſt.
(7) Ammian. libr. 27. cap. 4. p. 484.
(8) Jorn. cap. 16. p. 634.
(9) Varr. apud Non. 196.


N.º 1. Tavola 11. pagine 34. delle Osservazioni del Museo Capitolino

MARCIANA

N.° 2. Tavola 11. pagine 34. delle Osservazioni del Museo Capitolino



MATIDIA

Gio. Domen. Campiglia dis.



ANTINOO

Gio. Dom. Campiglia dis. Carlo Gregori incise

HADRIANUS. XXXIII. ET XXXIV.

PAſſim in Muſeis hujus Imperatoris imagines conſpiciuntur. In noſtro quinque protomas habemus, quarum duæ tantum in ære inciſæ hic adlatæ ſunt, quod ceteris præſtantiores, pluriſque faciendæ tum ob egregium operis artificium, tum ob lapidis pretium; altera enim caput habet ex albo marmore, thoracem autem ex alabaſtrite Orientali pellucido: altera vero caput habet ex ſimili alabaſtrite, thoracem vero ex alabaſtrite verſicoloribus lineis vario, ut ſericum omnino appareat. Nil mirum tot ubique hujuſmodi imagines reperiri, nam Pauſanias (1) narrat, Athenienſes, præter ſtatuam in Ceraunico, & in templo omnium Deorum huic Imperatori poſitam, etiam in Jovis Olympici ab ipſomet Hadriano ædificato, duas collocaſſe ex marmore Taſio, itidemque duas ex marmore Ægyptio, & duas ex ære, ut Dio (2) teſtatur, ac præterea (3) *ἀπὸ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριανῦ βασιλέως ἀνάκειται*: ab unaquaque civitate imagines Hadriani poſitæ, ut addit idem Pauſanias: etenim nullus antea Imperator æque ac Hadrianus, beneficiis obſtrinxerat civitates aut ſibi ſubjectas, aut etiam ſociorum populi Romani; teſtatur (4) enim Dio, illum & eas inviſiſſe, & aquæductibus, & portubus, & re frumentaria reſtituta, & publicis operibus, aliiſque commodis ditaſſe. Nec his contenti Athenienſes, ut eorum grati animi ſignificatione omnes antecellerent, coloſſeum illi ſimulacrum erexere.

Hæc Hadriani capita, contra morem præcedentium Imperatorum, barbata ſunt, quod verbis Dionis (5) reſpondet dicentis: *Ἀδριανὸς πρῶτος γένειαν κατέδειξε*. *Adrianus primus barbam nutrivit*: quod innuit etiam Julianus (6) in Cæſaribus de Hadriano ſcribens: *Μετὰ τῦτον ἐπεισέρχεται βαθεῖαν ἔχων ὑπήνην ἀνὴρ σοβαρὸς*: *Poſt hunc procedit homo prolixa barba venerandus*. Nec mirandum, omnes ejus imagines inter ſe ſimillimas eſſe ſeu in marmore, ſeu in nummis, quorum magna ſupereſt copia cujuſcumque magnitudinis, quum ea tempeſtate præſtantiſſimi paſſim florerent artifices, quos tales eſſe oportebat ſub Imperatore, qui ab Aurelio (7) Victore merito nuncupatur: *Pictor*, *fictor ex ære*, *vel marmore proxime Polycletos*, *& Euphranoras*, & (quod incredibile videretur, ni Romana potentia memoriæ revocetur) qui *ad ſpecimen legionum militarium*, *fabros perpendiculatores*, *architectos*, *genuſque cunctum extruendorum mœnium*, *ſeu decorandorum in cohortes centuriaverat*. Verum maxima horum artificum præſtantia maxime enituit in imagine Antinoi cælanda, juvenis turpiter ab Hadriano adamati, ut rumor tunc percrebuerat, & inſignis, & celeberrimæ pulchritudinis; nam omnes certatim ejus imaginem expreſſere, ſumma ope adnitentes, ut perfectionis metam attingerent, & arte artem ipſam in opere abſolvendo ſuperarent, ſive in nummis maximi moduli, quales nonnulli ad miraculum elegantiſſimi exſtant in Bibliotheca Vaticana, ſeu in ſtatuis, quarum una in Vaticani Palatii parte *Belvedere* nuncupata, altera in noſtro Muſeo; ſeu in protomis, & marmoreis capitibus, veluti quod huc proferimus ære inciſum, quod in noſtro itidem Muſeo adſervetur poſt Hadriani imagines in ſerie Imperialium protomarum. Sed quod cetera alia opificii præſtantia, longe excedit, illud eſt, quod nunc quoque in Gaza Medicea Florentiæ poſitum eſt e ſolido marmore cum pectore uſque ad mammas nudo more heroum, juſta ſtatura majus.

(1) Pauſan. libr. 1. cap. 3. & 5.
(2) Dio libr. 69. p. 795.
(3) Pauſan. libr. 1. cap. 18.
(4) Dio libr. 69. p. 790.
(5) Dio libr. 68. p. 777.
(6) Julian. in Cæſar. p. 311. edit. Lipſienſ. 1696.
(7) Aurel. Vict. Epitom. cap. 14.

SABINA. XXXV.

MAgni omnino facienda hæc protoma, non ſolum ob ſculptoris præſtantiſſimi artem, verum etiam ob materiei pretium, quum ſit ex Orientali alabaſtrite, caput vero ex albo marmore, ſed pulcherrimo, & maxime levi. Juliam Sabinam refert Hadriani uxorem, & Matidiæ filiam, ſeu ut (1) nonnulli autumant, ſororem. Sed fortaſſe & mater ejus, & ſoror hoc nomine donabantur. Verum quum ejus mater filia fuerit Marcianæ Trajani ſororis, Sabina utique huic Imperatori cognatione proxima erat. Eam Hadrianus uxorem duxit invitus, unde hoc Plotinæ opera matrimonium conciliatum plenum fuit querelarum. Illam potius ſervæ loco, quam uxoris Hadrianus habuit. Illa contra numquam filios peperit, & data (2) opera ſe feciſſe publice jactabat. Tandem mortua eſt, ut nonnulli ſuſpicati, ex veneno, a marito ei propinato, quamvis eum rumorem (3) Spartianus tamquam fabulam ſit aſpernatus, dicens: *Sabina uxor non ſine* FABULA VENENI *dati ab Hadriano, defuncta eſt*; ni fabulæ nomine intellexerit popularem vocem, prout opponitur certæ opinioni. Et revera Sextus (4) Aurelius Victor aliter ſcripſit: *Uxor* (ait) *Sabina, dum prope ſervilibus injuriis afficitur, ad* MORTEM VOLUNTARIAM *compulſa eſt*. Patarolus (5) adfirmat hoc factum eſſe, quod in adulterio comprehenſa fuerit cum Svetonio Tranquillo; id autem deduxit ex illis Spartiani verbis: *Septicio Claro Præfecto Prætorii, & Svetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, multiſque aliis, qui apud Sabinam uxorem* INJUSSU EJUS FAMILIARIUS SE TUNC EGERANT, QUAM REVERENTIA DOMUS AULICÆ POSTULABAT, *ſucceſſores dedit*. Sed dubito, an hæc ſit Spartiani verborum ſententia, nec mihi videntur ad hunc ſenſum torqueri poſſe, ut turpe adulterii crimen innuant, vel ad petulantiores jocos, & matrona Auguſta, & Imperatoris uxore indignos, nam Spartianus totam in eo culpam reponit, quia nimis familiariter a Svetonio tractaretur *injuſſu ejus*, quod de adulterio minime intelligi poteſt. Quid enim Imperator tantum crimen umquam jubere vellet? Sed ſic hiſtorici verba interpretanda ſunt, tamquam Svetonius eam omnibus honoris, ac venerationis ſignificationibus, quales tantam feminam decebant, & quales *reverentia domus aulicæ poſtulabat*, non fuerit proſequutus. Quod Hadriano etiam non diſpliciuſſet, quia illam non adamabat, ſed quod hoc factum eſſet *ejus injuſſu*; ex quo colligitur aliquibus mandaſſe, ut eam flocci facerent. Huic capiti præcipuum ineſt ornamentum, mitellam forte dixeris, de qua conſulendus V. Cl. Fabrettus, (6) qui ad rem ſic ait: *Adeſt quidem nummus Hadriani mediæ magnitudinis in Muſeo Chriſtinæ Auguſtæ. In ejus averſa parte caput Sabinæ laureatum V. Cl. Franciſcus Gottifredus agnovit, & pro tali in indice Franciſci Cameli adnotatus eſt, ſed Patinus pag. 206. ad* CULTUM *quemdam* INSOLITUM CAPITIS *retulit, prout fecerat Angelonus, qui prior nummum vulgaverat inter alios Hadriani n. 67.* At non tantum n. 67. ſed & 72. ſimilis nummus apparet. Inter eos, quos Havercampus protulit, qui in Muſeo ejuſdem Reginæ exſtabant, Tab. XIIII. n. 18. Sabinæ caput jam inter Deos relatæ apparet ſimili modo comtum; & itidem n. 19. in nummo maximi moduli Bitiniæ; ad quorum unum fortaſſe reſpexit Fabrettus. Præcipua animadverſione dignæ ſunt ſpicæ, quæ in hac exſtant mitella, quibus ceteræ Auguſtorum imagines minime decorantur, & quas forte innuere credam Sabinam pro nova Cerere veneratam fuiſſe, quia ſcilicet dicta fuit ΝΕΑ ΔΗΜΗΤΗΡ, eoque nomine cultam legitur in Græca quadam inſcriptione apud Sponium (7), qua appellatione donatæ fuerunt etiam Julia Auguſta Statilia Meſſalina, Julia Domitia, & Julia Mammea, ut (8) Cuperus animadvertit. Hoc indicat forte nummus ejuſdem Sabinæ apud Angelonum n. 74. inter nummos Hadriani, in cujus poſtica parte cernitur Ceres ſpicas dextera manu tenens, & facem ſiniſtra. In collectione Statuarum a Dominico de Rubeis adornata, ſimulacrum ære inciſum apparet Criſpinæ Commodi uxoris cum ſpicis, & papavere præ manibus, quæ Cereris inſignia ſunt, ut notat Maffejus (9), idque multis Auctorum locis confirmat. Ni dicere velimus, ſpicas, quæ ſculptæ in ornatu hujus capitis inſpiciuntur, ad Cybelem ſpectare, ſub cujus imagine, cum ſpicis in dextera manu, Sabina repræſentatur in nummo Hadriani maximi moduli apud Vaillantum. (10)

ÆLIUS

(1) Patarol. Ser. Aug. n. xv.
(2) Aurel. Vict. Epit. cap. 14.
(3) Spart. in Vita Hadriani.
(4) Aurel. Vict. Epit. cap. 14.
(5) Patarol. ibid.
(6) Fabrett. de Column. Trajan. cap. 2. p. 39.
(7) Spon. Miſcell. p. 328.
(8) Cuper. in Apoth. Hom. p. 285.
(9) Maff. in Obſerv. n. CVIII.
(10) Vaill. Select. numiſm. p. 15.

ÆLIUS CÆSAR. XXXVI.

LUcius Cejonius Commodus Verus, ſeu Lucius Aurelius Verus, iis namque nominibus a Spartiano (1) appellatus eſt, ab Hadriano adoptatus, dictuſque inde Ælius Verus hic eſt, cujus imaginis graphidem exhibemus mirifice in marmore excuſæ, in quo apparet ſumma antiquorum artificum diligentia. Nam in hac protoma facies eſt ſummopere levigata, & ex marmore candidiſſimo, ut vultus viri ægritudine confecti, vel e longa infirmitate convaleſcentis videatur, maxime quod barba impolite ſculpta ſit, & pulvere fœdata. Talem vero fuiſſe Ælium Verum affirmat (2) Spartianus ipſe, qui ſic de illo dicit: *Hic tamen* VALETUDINIS ADEO MISERÆ *fuit, ut Hadrianum ſtatim adoptionis pœnituerit*; quare ſæpe ſæpius carmina illa Virgiliana (3) de Marcello florente ætate perempto ei aptabat:

> *Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra*
> *Eſſe ſinent.*

Et acriter hanc ejus valetudinem illudens, ad Græcum proverbium reſpiciens, dicere ſolebat (4): *Ego mihi divum adoptavi, non filium*, illum ſcilicet in defunctorum numero computans. Dicebat etiam (5): *Satis in caducum parietem incubuimus, & qui non ipſam Rempublicam, ſed nos ipſos ſuſtentare vix poſſit*. Vir erat alioquin formoſus, ut monſtrat hæc protoma, quapropter ab ejus obtrectatoribus dictum fuit, ipſum Hadriano acceptiorem fuiſſe (6) FORMA, *quam moribus*; atque paulo poſt ab eodem Spartiano vocatur COMPTUS, DECORUS, PULCHRITUDINIS REGIÆ, ORIS VENERANDI; quod apparet apertiſſime in hac imagine. Ipſe Hadrianus, Spartiano itidem teſte (7) *ſtatuas ſane Ælio Vero per totum Orbem coloſſeas poni juſſit*, quamobrem vero ſimillimum eſt præter coloſſea ſimulacra decreto Imperatoris illi poſita, quamplurima etiam juſta ſtatura eidem fuiſſe collocata ab iis, quos beneficiis affecerat, aut in ejus fuerant clientela.

M. ANTONINUS PIUS. XXXVII.

OPtimi hujus, ac prudentiſſimi Imperatoris imago, quam hic exhibemus, extra omnem dubitationis aleam archetypo ſimillima eſt, nimium enim illius nummi abundant, cum quibus fieri poteſt comparatio. Sed his etiam ſepoſitis, quum in eo omnium virtutum chorus quaſi in proprio regno placide regnaret, juſtitiam *ornabat* VULTU SERENO ET PULCHRO, PROCERUS MEMBRA, DECENTER VALIDUS, ut ait Aurelius Victor (8), cujus verbis (9) Capitolini reſpondent: *Fuit* STATURA ELEVATA DECORUS, *ſed quum eſſet* LONGUS *& ſenex, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, ut rectus incederet*. Et paulo ante ſcripſerat: (10) *Fuit vir* FORMA CONSPICUUS, *ingenio clarus, moribus* CLEMENS, NOBILIS, VULTU PLACIDO, *ingenio ſingularis*, ſeu, ut legit Salmaſius, *clarus moribus, clemens, nobilis*, VULTU PLACIDUS, *ingenio ſingulari*. Hæc omnia mire in hac protoma elucent. Comparatus autem fuit (11) Numæ, non ſolum quod ad pacificam, optimamque gubernandi rationem, ſed etiam quod ad vultus lineamenta, oriſque ſimilitudinem ſpectat, ut videre eſt in nummis ejuſdem Numæ, quamvis multo ſerius cuſis, ut animadvertit Jacobus Sponius, qui etiam hujus Imperatoris effigiem his verbis expreſſit: (12) *Antonin a le viſage long, que les phyſionomiſtes diſent être un ſigne de bonté, & d'amitié. A quoy ſi l'on ajoûte l'air doux, modeſte, majeſteux, & la proportion dans les parties de ſon viſage, & au reſte du corps, qui étoit d'une riche taille, on le reconnoîtra pour un Prince bon, clement, honneſte, liberal, ſobre, & eloquent, digne veritablement d'être maître de l'Empire*. Hæc exacta deſcriptio plane reſpondet capiti coloſſeo, quod eſt in ædibus Farneſianis, eximii operis, & illud fortaſſe, quod erutum fuit in Antoninianis Ther-

(1) Spartian. in Æl. Vero cap. 1.
(2) Idem ibid. cap. 4.
(3) Virg. Æn. libr. 6. v. 870.
(4) Spartian. ibid. cap. 4.
(5) Idem ibid. & in Hadriano cap. 23.
(6) Spart. in Æl. Ver. cap. 5.
(7) Spart. ibid. cap. 7.
(8) Aurel. Vict. Epit. cap. 15.
(9) Capitol. in Anton. Pio cap. 13.
(10) Idem ibid. cap. 2.
(11) Suidas in v. Ἀντωνῖνος.
(12) Spon. *Recherch. d'antiq.* Diſſ. 24. p. 384.

Thermis tempore Pauli III. Pontif. Maximi, ut rem narrat Bernardus Gamuccius (1) in libro, quem de Romæ antiquitatibus anno *1565.* ex prælo Johannis Variſci in publicum emiſit, & Ulyſſes Aldrovandus de Statuis Romæ exiſtentibus; qui præterea ſubdit, caput illud thoraci cuidam, quo nunc caret, ſuperpoſitum fuiſſe, ideoque fieri poteſt, ut aliud fortaſſe ſit, diverſum ab eo, quod in Thermis illis repertum fuit. In Arce S. Angeli, & in Muſeo Magni Ducis Etruriæ exſtat pariter marmorea effigies hujus Imperatoris, ambæ naturalem magnitudinem ſuperantes, verum noſtræ huic omnino ſimiles. Multa quoque paſſim per Romanas domus inveniuntur hujuſmodi capita; de quibus mentionem facit idem Aldrovandus, quorum unum cum thorace veſte circumdato vidit in domo D. Stephani Bubali retro ad B. Mariæ in Via. Aliter etiam ſimilitudinem hujus effigiei probare poſſumus, nempe eam comparando cum nummis maximi moduli, qui elegantiſſimi, & optime conſervati exſtant in bibliotheca Vaticana, præcipue vero ſi nummos ipſos inſpiciamus, potius quam eorum *καταγραφὰς*, quæ non prorſus protypis reſpondent vitio aut delineatoris, aut cælatoris, neque enim adeo diligenter expreſſi ſunt ac illi, qui ſervantur in laudato M. Ducis Muſeo, & in Muſeo Cardinalis Carpinei, quorum ectypæ in ære ſcalptæ imagines eximii ſunt artificii, ut videre eſt in Tabulis Muſei Florentini, quod publici juris fecit V. Cl. Gorius, ac in illis, quas edidit doctiſſimus Senator Bonarrothius in Animadverſionibus ad Muſeum ejuſdem Cardinalis.

FAUSTINA MAJOR.

XXXVIII. ET XXXIX.

HÆc eſt illa Fauſtina, quæ appellatur etiam Annia Galeria Fauſtina M. Antonini Pii uxor, Annii Veri filia, Ælii Cæſaris ſoror, quo factum eſt, ut Hadrianus Ælium in Imperio ſibi ſucceſſorem deſignaverit. Quatuor ex Antonino filios ſuſcepit, duos maſculos, duaſque feminas, quæ ambæ ex matris nomine Fauſtinæ dictæ ſunt, quarum poſtrema Marco Antonino cognomento Philoſopho nupſit. Hæc Auguſta mulier plane a moribus mariti aliena fuit, qui quamvis ejus effrœnatam vivendi licentiam non ignoraret, attamen æquo animo ferebat, ac ſi quid eam peccaſſe illi renunciabatur, occulere ſatagebat. Tandem poſt ejus mortem, quæ in annum ſui Imperii tertium incidit, omni honorum genere illam proſequutus eſt, ac inter Deos referri juſſit. Hinc multæ ejus imagines, hinc nummi cum epigraphe SIDERIBUS RECEPTA, atque DIANA LUCIFERA. In poſtica parte nummi maximi moduli, qui in bibliotheca Vaticana adſervatur, quique erudite illuſtratur a Cl. Venuto, apparet Diana cum face. In alio autem hujuſmodi nummo Muſei PP. Carthuſianorum, Roma Vindobonam in Muſeum Cæſaris tranſlati, cernebatur expreſſa hæc Auguſta mulier cum epigraphe DIVA AUGUSTA FAUSTINA, quod poſt ejus obitum cuſus fuerit; in ejus vero parte poſtica MATRI DEUM SALUTARI ſcriptum erat, ac Fauſtina ipſa in templo collocata, cum inſignibus matris Cybelis. In curru ejuſdem Deæ, cui junguntur leones duo, Fauſtina ſedet cum capite turrito in nummo apud Begerum, qui duos adfert, in quibus habitu Cereris illa conſpicitur, quo Romani innuere ſtudebant, Fauſtinam vita functam Romano Imperio, ac terrarum Orbi ſuppetias ferre, ſicut illa Numina, inter quæ locatam eſſe putabant. In Muſeo Mediceo ſervatur hujus Auguſtæ imago ex marmore Pario elegantiſſima, & huic noſtræ ſimillima etiam in comæ concinnatione, in qua duo inſuper cincinni additi in frontis vertice. Aliam quoque protomam habemus in noſtro Muſeo, quæ quamvis nummis omnino non reſpondeat, attamen ejus delineationem ære inciſam hic num. XXXIX. adponimus.

MAR-

(1) Bernard. Gamucç. *Antich. di Rom.* libr. 2. pag. 90.

MARCUS AURELIUS XL. XLI. ET XLII.

TRia hujus Imperatoris marmorea capita miri profecto operis in Muſeo noſtro exſtant. Primum quorum illum exhibet adhuc adoleſcentulum, in quo apparet ea bene compoſiti animi tranquillitas, quam Aurelius Victor confirmat eximiam fuiſſe ejus pueritiæ dotem, dicens: (1) *A principio vitæ* TRANQUILLISSIMUS, *adeo ut ab infantia* VULTUM *nec* EX GAUDIO, *nec* EX MOERORE MUTAVERIT. Quare ultra ætatis modum, moremque in infantia ipſa ſeſe gravem præferebat, ut ait Julius Capitolinus: (2) *Fuit a* PRIMA INFANTIA GRAVIS. Alterum caput num. XLI. faciem præfert triſtem, & prudentem, non efferatam, & ad terrorem compoſitam, ac tandem qualem ipſum deſcribit Capitolinus, (3) de philoſophia dicens, quod eum *ſeriumque*, *& gravem reddidit*, *non tamen prorſus abolita in eo comitate*; quæ comitas, morumque ſuavitas homines allicientium non tantum in eo eluxit, dum puer erat, qui ab ea uſque ætate *Exiſtimationis* (ut ait idem (4) auctor) *tantam curam habuit*, *ut & procuratores ſuos* PUER *ſemper moneret*, NE QUID ARROGANTIUS *facerent*, ſed per totum ſuæ vitæ curſum, per ſexaginta ſcilicet, & unum annum, & decem & octo Imperii perſeveravit.

Quid mirum igitur ſi tot ſint ſtatuæ, atque imagines, & nummi hujus Imperatoris, quæ omnia eximia artis miracula ſunt, quum adhuc ſupereſſent quamplurimi artifices, qui tempore Hadriani florebant, & quia Marcus Aurelius, etſi totus philoſophiæ incubuiſſet, picturæ quoque operam dederat ſub Diogneto magiſtro, ut ſcribit Capitolinus? (5) Nec etiam mirandum ubique hujuſmodi imagines inveniri, quum ita omnibus carus foret ob tot ejus egregias virtutes, ut teſte eodem hiſtorico: (6) *Sacrilegus judicatus eſſet*, *qui ejus* IMAGINEM *in ſua domo non habuit*, *qui per fortunam vel potuit habere*, *vel debuit*. In Muſeo Arigonio inter Græcos Imperatorum nummos, unus eſt capite M. Aurelii adoleſcentis inſignitus, ſed quam a veris vultus lineamentis aberraverit artifex, qui graphidem in ære ſculpſit, cerni poteſt in hac protoma num. XL. Simillima tamen exemplari ea eſt imago, quam protulit in Muſeo Florentino eruditiſſimus (7) Gorius, quamvis ætatis provectioris illum referat. Hæ duæ protomæ numeris XL. & XLI. notatæ, inventæ ſunt in agro Civitatis Laviniæ prope viam Appiam, ubi nonnulli eruditi M. Antonini Pii villam fuiſſe autumant. Hoc etiam addendum puto, in noſtro Muſeo aliam quoque exſtare protomam huic numero XL. poſitæ omnino ſimilem.

FAUSTINA MINOR. XLIII.

SI nummis quis conferat hanc protomen, facili negotio intelliget, hanc referre Fauſtinam Antonini Pii Imperatoris filiam, M. Aurelii uxorem, ob vultus ſimilitudinem, quæ tanta eſt, ut nullum ſinat ambigendi locum. Femina profecto hæc fuit eo patre indigna, indignior tanto marito, verumtamen digna Commodi mater. Hadrianus ſibi adoptavit Antoninum, at ſimul juſſit, ut Anniam Fauſtinam Lucio Vero in matrimonium collocaret, ſtatim ac is per ætatem operam dare liberis poſſet, nam tunc puellus erat. Defuncto autem Hadriano, Antoninus illam obtulit per uxorem ſuam in matrimonium Marco Aurelio, qui aliquantum cunctatus, tandem, ut intelligi poteſt, eam ſibi deſpondit. Verum male illi ceſſit, quamquam ipſe omni officio, omnique humanitate, atque amore eam proſequutus eſſet, adeo ut ejus etiam impudicos amores æquo animo ferret. Illa enim non ſolum quibuſvis infimæ plebis hominibus ſeſe proſtituit, ſed etiam, ut nonnulli putarunt, in Avidii Caſſii defectione ſe ſe immiſcuit: *Qui Imperatorem ſe appellavit*, *ut quidam dicunt*, FAUSTINA VOLENTE, *quæ de mariti valetudine deſperaret*, ut legi-

To. II. I

(1) Aurel. Vict. Epit. p. 207.
(2) Capitol. in M. Aurel. Ant. cap. 2.
(3) Idem ibid. cap. 4.
(4) Idem ibid. cap. 7.
(5) Idem ibid. cap. 4.
(6) Idem ibid. cap. 18.
(7) Muſ. Florent. Numiſm. Tab. 24.

gitur in Capitolino (1). Ad quæ reſpiciens Petrarca elegantiſſime cecinit: (2)

Vedi il buon Marco d'ogni laude degno,
Pien di filoſofia la lingua, e 'l petto,
Pur Faustina *il fa quì ſtare a ſegno.*

Et hæc ejus prolixa erga uxorem voluntas, & indulgentia clarius apparuit, quum illa repentino extincta morbo, qui eam ad montis Tauri radices corripuit, (3) ille *Petiit a Senatu, ut honores* Faustinæ, *ædemque decernerent, laudata eadem, quum tamen pudicitiæ fama graviter laboraſſet, quæ Antoninus vel neſcivit, vel* dissimulavit. *Novas puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem* uxoris mortuæ: divam *etiam* faustinam *a Senatu appellatam gratulatus eſt, quam ſecum & in æſtivis habuerat, ut* matrem castrorum *appellaret. Fecit & coloniam vicum, in quo obiit* faustina, *& ædem illi extruxit.* Atque, ut addit (4) Xiphilinus ex Dione, Senatus ipſe Marco, & Fauſtinæ ſtatuas argenteas in Romano Veneris templo collocari decrevit, aramque extrui, in qua virgines omnes in urbe cum ſponſis tempore nuptiarum ſacrificarent, & ut in theatro aurea Fauſtinæ imago in ſella ſedentis ſemper eſſet. Ex hac nimia ſane indulgentia in obtrectatorum voces incidit Imperator; de eo quippe Aurelius Victor ait: (5) *Imprudentia regendæ conjugis attaminavit, quæ in tantum petulantiæ proruperat, ut in Campania ſedens, amœna litorum obſideret ad legendos ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores.* Immo eo proceſſit tanta indulgentia, vel potius ſtupiditas, ut in injuſtitiam deſciſceret, nam eo devenit, ut etiam premiis eos proſequeretur, qui plectendi erant, quod cum hac ſceleſta femina impudice coiſſent, ac Imperialem talamum violaſſent: *Crimini ei datum eſt* (inquit (6) Capitolinus) *quod* adulteros uxoris *promoverit Tertullum, & Utilium, & Orphitum, & Moderatum ad varios honores; quum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit.* Multæ profecto protomæ, ac ſimulacra Fauſtinæ poſita eſſe credendum, quum ex Dione (7) compertum ſit, Senatus decreto illi aurea, & argentea dedicata fuiſſe, & ab ejus marito inter Deos conſecratam fuiſſe, atque aris, & divinis honoribus donatam; illam enim veneratus eſt pro Diana Lucifera, ut ex nummis colligitur (8), in quorum poſtica parte ejuſdem Dianæ habitu inſignita, & cervo inſiſtens cernitur. Hi autem nummi, ut innuimus, imaginem præferunt omnino ſimilem huic noſtræ marmoreæ; ex quibus forte Johannes Baptiſta (9) Porta intulit illam bene comatam fuiſſe, & exſuccam. Hæc eadem protome egregii artificis opus ex uno, ſolidoque marmoris fruſto ſculpta, veſtimento operitur mirum in modum cælato. Effoſſa autem fuit in villa Hadriani Tiburtina. Alterius autem protomes ex hac Auguſtarum ſerie rejectæ, quod parum Fauſtinæ adſimilis eſſet, delineationem hic collocavimus, ut morem nonnullis eruditis gereremus, qui in ea oris lineamenta hujus feminæ agnoſcere autumant. Hæc fuerat a Natura ſingulari pulchritudine donata, ut in hac protoma aperte videre eſt, ideo in nummis, quorum duo apud Patinum (10), Veneris forma excuſa eſt, qua de re hanc ille adfert rationem: *Venus ſtat in primo nummo, cujus habitum induiſſe videtur* faustina sui temporis mulieres forma antecellens.

ANNIUS VERUS. XLIV.

Inter rariores hujus Muſei protomas hæc profecto adnumeranda eſt ob operis excellentiam, quæ Annii Veri effigiem refert, qui ſeptennis mortuus eſt, ideoque puerili ætate apparet excuſus. Multa eruditi circa hujus pueri nomen diſputant; quæ apud Tillemontium (11) legi poſſunt. Hæc imago imaginibus, quæ in nummis inſpiciuntur, reſpondet examuſſim. Ejus morbus, & interitus ita a Capitolino (12), ubi de M. Aurelio loquitur, narrantur: *In ſeceſſu Præneſtino agens,* filium *nomine* verum *Cæſarem, exſecto ſub aure tubere ſeptennem amiſit, quem non plus quinque diebus luxit.* Quamvis brevi vitam expleverit, minime mirandum eſt, adhuc ſupereſſe ejus capita marmorea ad vivum

(1) Capitol. in M. Aurel. cap. 24.
(2) Petr. Trionf. Amor. cap. 1.
(3) Capitol. in M. Aurel. cap. 26.
(4) Xiphil. in M. Anton. philoſ. p. 280.
(5) Sext. Aurel. de Cæſ. cap. 16.
(6) Capitol. in M. Aurel. cap. ult.
(7) Dio libr. 71. p. 813.
(8) Vaillant. Select. num. Muſ. de Camps p. 35.
(9) Porta Phyſiogn. libr. 5. cap. 21.
(10) Patin. Imper. num. pag. 199.
(11) Tillem. *Hiſtoir. Emper.* Not. 4. in M. Aurel.
(12) Capitol. in M. Aurel. cap. 21.

vum expreſſa, nam pater juſſerat ſtatuas illi poni, ac ejus auream imaginem in Circenſibus circumferri: (1) *Juſſitque* (ait idem hiſtoricus) *ut* STATUÆ *tantummodo de filio mortuo decernerentur*, *&* IMAGO AUREA *Circenſibus per pompam ferenda*. Quod magis credendum eſt de puero ſummopere caritate paterna dilecto, ipſe enim Marcus Aurelius iis, qui in bello Marcomannico occubuerant (2), *omnibus* STATUAS *in foro Ulpio collocavit*. Immo, ut idem auctor ſubdit: *Amicos parentum etiam mortuorum* STATUIS *ornavit*; quamobrem quid dicendum erit, illum erga filiolum, tamque carum caput feciſſe? Idem igitur fecit, nummoſque in ejus honorem cudendos curavit, qui rari quidem admodum ſunt, ſed huic protomæ omnino ſimiles, quæ prope Viam Appiam reperta eſt in agro Lavinio, ex quo (3) originem duxerat Antoninus Pius, & cum thorace unico marmore cælata, eximio, præſtantique artificio. Videſis Diſſertationem Joh. Petri Bellorii, quæ Romæ in lucem prodiit anno 1676. de nummo Commodi in collectione Cardinalis Maximi adſervato, in quo caput Commodi juvenis inſpicitur, quæ diſſertatio hanc protomen, & quæ num. XLVIII. poſita eſt, illuſtrabit.

LUCIUS VERUS. XLV.

LUcius Verus Marci Aurelii jure adoptionis frater, a quo nomen accepit, ut Capitolinus affirmat his verbis (4): *Fratrem ſibi participem in Imperio deſignavit*, *quem* LUCIUM AURELIUM VERUM COMMODUM *appellavit*, *Cæſaremque*, *atque Auguſtum dixit*. Filius quidem L. Aurelii Annii Cejonii Commodi fuit, quem Cejonium ſibi adoptavit Hadrianus, qui poſt mortem Cejonii Antoninum cognomento Pium pariter adoptavit, ac huic in adoptionem ſibi adſciſcere fecit M. Aurelium, & tandem M. Aurelio L. Verum, de quo loquimur. Huic ducenda erat uxor Annia Fauſtina, quam poſtea deſponſavit, ut dictum eſt, ipſe M. Aurelius, & L. Vero filiam ſuam Lucillam uxorem dedit. Caput ejus marmoreum, cujus graphidem hic exhibemus, plane reſpondet ejus nummis maximi moduli, quorum nonnulli exſtant in bibliotheca Vaticana, qui ultra quam dici poſſit, excellentiſſimi operis ſunt, ac ita ab omni temporis injuria conſervati, ut in præſentia cuſi videantur. Duo capita alterum M. Aurelii, alterum L. Veri forma fere coloſſea præſtantiſſimi artificis manu cælata cerni poſſunt in Villa Pinciana. Hi duo quamvis adoptione tantum fratres multum inter ſe ſimiles ſunt, quod ad vultus lineamenta, ac præcipue capillorum, & barbæ conformationem. At non in amborum ore inſpicitur ea morum ſuavitas, quam de ipſis prædicat Capitolinus (5): *Adepti Imperium ita civiliter ſe ambo egerunt*, *ut* LENITATEM PII *nemo deſideraret*; etenim tantum in M. Aurelii fronte gravitas apparet, ſed lenis, & tranquilla (6): *Erat enim ipſe tantæ tranquillitatis*, *ut vultum numquam mutaverit mœrore*, *vel gaudio*. Lucius autem Verus robuſtus erat, ut ait (7) Xiphilinus, ac vultu ad ſeveritatem compoſito, & quamvis dum in Oriente militiæ nomen dederat, omnibus voluptatibus perfunderetur, attamen feritatem quamdam ficte (8) præferebat: SIMULATIS CALLIDÆ SEVERITATIS (*quo ille ingenito vitio laborabat*) *erroribus*, teſte eodem Capitolino. In hoc ipſo marmore oſtendit ſeveritudinem quamdam, quæ innuit, quod diſerte narrat hiſtoricus. Hinc idem auctor (9) de eo ſcribit: *Fuit decorus corpore*, *vultu geniatus*, BARBA *prope* BARBARICE DEMISSA, *procerus*, *&* FRONTE IN SUPERCILIA ADDUCTIORE VENERABILIS, contra Plinii (10) junioris monitum Trajanum admonentis: *Fortem te*, *&* HILAREM, *Imperator optime*, *& privatim*, *& publice opto*. Hæc protome effoſſa itidem fuit in agro Lavinio una cum illis, quas ſuperius exhibuimus M. Aurelii n. XL. & XLI. & Annii, & Lucii Veri, & cum illa Commodi, quam mox exhibebimus.

LU-

(1) Capitol. ibid.
(2) Idem ibid. cap. 22.
(3) Vide Latium Vetus P. Vulpii Tom. 6. libr. 10. cap. 6. pag. 99.
(4) Capitol. in M. Aurel. cap. 7.
(5) Idem ibid. cap. 8.
(6) Idem ibid. cap. 16.
(7) Xiphil. in M. Antonino p. 270.
(8) Capitol. in M. Aurel. Anton. cap. 16.
(9) Idem in L. Vero cap. 10.
(10) Plin. epiſt. 1. libr. 10.

LUCILLA. XLVI. ET XLVII.

OMnino ſingulare, nec inventu facile eſt caput, cujus graphidem exhibemus n. XLVI. præterea affabre factum eſt, & ita perfecte adſimilatur Lucillæ, ut in nummis diligentius ſervatis ejus imago cum hoc capite examuſſim conveniat, quibus rationibus magni faciendum eſt, nec fortaſſe ulli poſtponendum tot Auguſtarum, quæ in hoc Muſeo inſpiciuntur. Si bene quis hujus imaginis lineamenta contempletur, nonnullam cum Commodo, cujus ſoror fuerat Lucilla, ſimilitudinem deprehendet. Hæc protoma Smyrna huc advecta eſt, ibique effoſſa, una cum protoma Lucii Veri ejus mariti, qui eam matrimonio ſibi junxit Epheſi, ſcilicet non longe a Smyrna. Hæc autem elegantiſſima capita in Italiam advexit quidam ſacerdos ex familia Capuccinorum, illaque Cardinali Joſepho Renato Imperialio dono dedit, exinde beneficio, ac munificentia BENEDICTI XIIII. Pont. Max. in noſtrum Muſeum illata fuere. Lucillæ caput ex marmore Pario excuſum eſt, colore ſubflavo, coma vero e nigro marmore, atque aſcititia, quæ commode auferri poteſt, iterumque reponi, quam προκόμιον, & περίθετον appellat Athenæus (1), ortumque duxiſſe ait a Cretenſibus, thorax vero ex alabaſtrite variegato, & admodum elegante. Fuit hæc mulier Marci Aurelii filia, ut diximus. Hic Lucio Vero, qui ſecum rexit Imperium, eam in Syriam nubendam mittens, Brunduſium uſque deduxit, &, quæ fuit ejus moderatio, ad Proconſules ſcripſit: (2) *Ne quis filiæ ſuæ iter facienti occurreret &c.* Sed Verus (3) *Epheſum etiam rediit, ut Lucillam uxorem miſſam a patre Marco ſuſciperet; & idcirco maxime, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, ac flagitia ejus agnoſceret*; ut narrat Capitolinus. Ad has nuptias reſpicere videtur nummus, in cujus poſtica parte nuptiarum celebritas ante templum, & ſimulacrum, quod forte Dianam Epheſiam refert, peracta cernitur, qui nummus in Muſeo Carthuſianorum, nunc vero Imperatoris ſervatur. Hæc omnia conveniunt cum Actis Aberici, quæ apud Metaphraſtem legi poſſunt, ubi narratur, quod M. Aurelius, & Lucius *inter ſe convenerant, ut ſtato die Lucius quidem ab Oriente, Antoninus autem Roma venirent Epheſum, &* IN TEMPLO, *quod ibi erat,* DIANÆ *Antoninus* DEA TESTE *traderet puellam, Lucius vero acciperet.* At hæc quoque femina perditis fuit moribus, ſimiliſque matri Fauſtinæ, atque Commodo Imperatori ejus fratri. Illam a dæmone obſeſſam fuiſſe, & Abericum Epiſcopum accitum, ut eam curaret, ex Cardinalis Baronii (4) Annalibus compertum eſt, qui etiam cetera, quæ ad hanc feminam ſpectant, narravit. Eam Commodus in (5) exilium egit, vel potius Capreas relegavit, ut ex Dione (6) Xiphilinus narrat, ac ibi ejus juſſu enecta. Altera Lucilla fuit Nigrini filia, ac Lucii Ælii uxor, ex qua L. Aurelius Verus ortus eſt. Protoma, cujus graphidem exhibemus n. XLVII. non adeo ſimilis eſt, ideoque cum prima nullo modo comparanda, uti etiam ea, quam in has Animadverſiones rejecimus.

COMMODUS. XLVIII.

IMparem me fateor hoc Commodi caput dignis laudibus efferre, adeo elegans, ac eximio opere excellens eſt, & præcipue ſi ad crinium ſculpturam ſpectes. Non aliud huic cimelio magis conſentaneum encomium comminiſci queo, quam ſi dicam, hanc ex marmore albo imaginem Commodi tantum eſſe egregie, & affabre cælatam, quantum hic Imperator indole, & moribus ſceleſtus, impudicus, atque impius exſtitit. Suſpicor hanc protomam excuſam, quo tempore ille Cæſar renunciatus, Tribunitiam poteſtatem aſſumpſit, & in collegium Sacerdotum cooptatus, quod decimoquarto ætatis anno factum eſt, ut ait Lampridius (7) dicens: *Appellatus eſt autem Cæſar* PUER *cum fratre Severo, decimoquarto ætatis anno in collegium ſacerdotum adſcitus eſt.* Comam deinde poſuit, quum teſte eodem hiſtorico (8): *Sacra Iſidis coluit, ut &* CAPUT RADERET, *& Anubim portaret;*

(1) Athen. libr. 12. cap. 5.
(2) Capitol. in M. Aur. cap. 9.
(3) Idem in Vero cap. 7.
(4) Baron. Annal. ad ann. 163. n. IX. & XI.
(5) Lamprid. in Commodo cap. 4.
(6) Xiphilinus in Commodo pag. 284.
(7) Lamprid. in Commod. cap. 1.
(8) Idem ibid. cap. 9.

taret; etenim apud Ægyptios caput, qui ſacris initiati erant, radebant, ut ex Diodoro Siculo (1) didicimus. Quantum vero ad corporis formam, ita illum Lampridius ferme delineavit (2): *Fuit autem forma corporis juſta, vultu inſubido, ut ebrioſi ſolent, & ſermone incondito, capillo ſemper fucato, & auri ramentis illuminato, adurens comam, & barbam timore tonſoris*. At fortaſſe magis exacte Herodianus (3), cujus Græca verba brevitatis gratia omittimus, elegantiſſima Politiani interpretatione contenti: *Hoc editus genere Commodus eſt, cui quidem præter ætatis florem, etiam formæ dignitas ſuffragabatur, congruenſque corporis modus*, PULCHRA VIRILISQUE FACIES, *tranquillæ faces oculis, atque micantes, flava &* CRISPA CÆSARIES, *&c. Ad hæc lanugo malis proſerpebat, eaſque quaſi floribus conveſtiebat*. Atque (4) alibi: *Unus omnium ante ſe Imperatorum* NOBILISSIMUS, *omniumque ejus ætatis hominum* FORMOSISSIMUS. Quæ omnia magis huic marmoreæ effigiei reſpondent, in qua *pulchra, viriliſque facies, &* *criſpa cæſaries* evidenter apparent. Rariores ſunt hujus Imperatoris protomæ, utpote ſceleſtiſſimi, atque impudicitia, & crudelitate turpiſſime fœdati, nam poſt ejus mortem ſæpius a Senatu proclamatum eſt (5): *Parricidæ ſtatuæ detrahantur*. Et Cintius Severus, quod eſſet Pontifex Maximus, ita in Senatu decrevit (6): *Cenſeo &c. abolendas ſtatuas, quæ undique ſunt abolendæ*. Aſſentatione enim, necnon timore multa illi ſimulacra poſita fuerant, Herculis exuviis ornata, ut teſtatur (7) Dio, ac Athenæus (8), quorum unum Cardinalis de Rohano Roma ſecum in Galliam advexit, cujus caput pelle leonis obnuptum erat, ut in nummis etiam conſpicitur, qua re verba Lampridii illuſtrantur (9): *Accepit ſtatuas in* HERCULIS HABITU. Has inſtaurare, ut vera fatear, Julianus Apoſtata promiſit, ut narrat (10) Herodianus his verbis: *Primum quidem memoriam, & honores Commodi, &* STATUAS, *quas ſuſtulerat Senatus*, INSTAURATURUM *pollicebatur*. Rara tamen ſunt ejus ſimulacra, & hoc rarius propter inſignem operis excellentiam, & propter adoleſcentem ætatem, qua repræſentatur, ut in nummo ſane eleganti Muſei Abbatis de Camps, qui a Vaillanto illuſtratur, & in nummis maximi moduli Muſei D. Piſani, quorum graphides egregie ære inciſæ fuerunt.

CRISPINA. XLVIIII.

Poſtquam (11) M. Aurelius præſentiam ſuam bellum Scythicum poſtulare intellexit, ſecum adducere filium Commodum voluit, ſed antea Criſpinam Brutii Præſentis, qui bis Conſul fuerat, filiam illi in matrimonium collocavit. Hanc poſtea Capreas relegavit idem Commodus, ac dein occidit, ut Dio (12) teſtis oculatus adfirmat. Cauſa mortis fuit, quod fidem conjugalem Imperatori fregerit, qui identidem, paſſimque fidem ei publice frangebat. Hujus autem feminæ imago haec omnino ejus nummis reſpondet, de quibus Vaillantus (13) ait: *Nummi Criſpinæ ex omni modulo inter rariores habentur*; ac alio loco, ubi de nummis coloniarum loquitur, ſubdit: *Criſpini nummi ſecundæ, & minimæ formæ rariſſimi ſunt; primæ hactenus non inſpecti*. Apud (14) Havercampum videndus eſt nummus maximi moduli ex Muſeo Reginæ Svecorum cum epigraphe CRISPINA AUG. COMMODI AUG. in parte poſtica, & femina ſedente, quæ Deam Salutem refert. Itidem in Muſeo Carpineo exſtat ſimilis nummus maximi moduli ex rubro metallo, in quo e conſpectu Commodi adoleſcentis inſpicitur caput Criſpinæ, de quo plura adeo erudite profecto, ac luculenter diſſeruit immortalis memoriæ vir Senator Bonarrothius, ut ſuperfluum ſit aliquid addere. Comæ concinnatione hæc protoma ſimilis eſt protomæ Fauſtinæ Minoris num. XLIII. relatæ, ac alteri, cujus graphidem in has Animadverſiones pag. 34. rejecimus. Cl. Begerus (15) delineationem exhibet cujuſdam nummi, in quo caput hujus Auguſtæ eodem plane modo concinnatos crines habet; at inſuper tenia quadam revinctos, quæ circum cirros, ſuper faciem exſtantes, advolvitur, qua ratione crines diutius criſpati perdura-

(1) Diodor. Sicul. libr. 2. cap. 4.
(2) Lamprid. in Commod. cap. 17.
(3) Herodian. libr. 1. cap. 10.
(4) Idem ibid. cap. 18.
(5) Idem ibid.
(6) Idem ib. cap. 20.
(7) Dio libr. 72. p. 824.
(8) Athen. libr. 12. cap. 9.
(9) Lamprid. in Comm. cap. 9.
(10) Herodian. libr. 2. cap. 41.
(11) Dio libr. 71. p. 814.
(12) Idem libr. 72. p. 818.
(13) Vaill. Numm. Imper. Græc.
(14) Havercamp. Nummophyl. Reg. Chriſt. Tab. XXIII.
(15) Beger. Reg. & Imper. numm. Tab. 51.

rabant. Hæc capillorum concinnatio, aliæque cincinnis copioſiores calamiſtri ope fiebant. Unde Petronius (1) ait: *Numquid & crines* CALAMISTRO *convertere*? Et inter poëticos de Priapo luſus leguntur carmina hæc ad Maurorum crines reſpicientia: (2)

Quum quemdam rigidus Deus videret
FERVENTI *caput uſtulare* FERRO,
Ut Mauræ ſimilis foret puellæ &c.

Quæ carmina morem, modumque criſpandi crines monſtrant, ferro nempe calido; & lucalentius etiam Servius (3) illum Virgilii verſum enarrans, ubi de coma Æneæ loquens Turnum inducit dicentem:

. . . . *crinis*
Vibratos CALIDO FERRO, *myrrhaque madentis*,

cui Servius ſubdit: *Criſpatos calamiſtro*; *nam* CALAMISTRUM *eſt acus major*, *quæ calefacta adhibita intorquet capillos*; *unde etiam Cicero* CALAMISTRATAM COMAM *appellat frequenter*.

PERTINAX. L.

BReviſſimo temporis ſpatio Imperium rexit Pertinax, ideoque rariſſimi ſunt ejus nummi, & quamrariſſimæ protomæ marmoreæ. Una exſtat apud Magnum Etruriæ Ducem, ſed imperfecti operis, ut videre eſt in extremis barbæ partibus, ex quo aperte apparet, opifici tempus defuiſſe, ne illam perficere poſſet, quod Imperator, dum illam excuderet cælator, mortem obierit. Ideo tanto pluris facienda eſt hæc noſtra, cui nihil ad perfectionem deeſt. Pertinacis caput marmoreum exſtabat pariter, teſte Aldrovando, (4) in ædibus Lucæ e Maximorum familia apud Vallem, & fortaſſe hoc idem nunc in Capitolio eſt, nam nullius præter hujus mentionem fecit Aldrovandus. Dio (5) ejus funus deſcribens, narrat ejus ſtatuam ceream ornatu triumphali in lecto poſitam, aliamque auream curru ab elephantis circumvectam fuiſſe. Quapropter dicendum eſt, nonnullas illius imagines, dum adhuc viveret, excuſas exſtitiſſe, ex quibus fortaſſe vultus ejus lineamenta excerpta ſunt, nam dudum occiſus fuerat Pertinax, quando hoc funus celebratum eſt, quum jam vehemens ejus deſiderium populum inceſſiſſet, atque ſummis laudibus in cœlum ferretur, quare nil mirum, quod nonnulli ejus imaginem vel in cera ſaltem retinerent apud ſe, ut mos erat apud Romanos, qui eas dein ſervabant diutius, eaſque in funeribus proferebant. Nec vero cum (6) Meurſio dicendum, Capitolinum, quum *imaginarium funus* commemorat illis verbis (7): *Sub Severo Imperatore*, *quum Senatus ingens teſtimonium habuiſſet Pertinax*, FUNUS IMAGINARIUM *ei*, *& cenſorium ductum eſt*, intellexiſſe de funere, quod decoraretur imagine Pertinacis; nam hoc commune erat omnibus, in quibus imagines virorum illuſtrium, qui in defuncti familia cenſebantur, ex armariis, ubi repoſtæ hac de cauſa ſervabantur, eductæ circumferebantur; ſed *funus imaginarium* dictum arbitror, quia diu poſt mortem, ut noſtra Anniverſaria, celebratum eſt, inſtar veri funeris, quod fiebat, dum cadaver ad rogum efferebatur, ut cremaretur, cineresque lecti componebantur in ollis. Quæ ſimulacra exhibendi conſuetudo in funeribus, ex hoc ipſo Pertinacis eruitur, in quo teſte Xiphilino (8) ſtatuæ omnium veterum Romanorum illuſtrium, necnon omnium Romano Imperio ſubjectarum nationum, ac poſtremo multorum virorum, quos præclare aliquid geſſiſſe conſtaret, circumlatæ ſunt. Sponius (9) adfirmat, adeo felicem oris ſpeciem hunc Imperatorem ſortitum fuiſſe, ut nemini liceret feliciorem ſibi deſiderare, nempe pulchrum caput, frontem ſpatioſam, barbam longam, & venerabilem, vultum majeſtatis plenum, ſtaturam eminentiorem, pinguem magis, quam macrum, & robuſtum corporis habitum, quæ omnia una cum grandiore ætate conjuncta verendum illum reddebant. Hinc Patinus (10) ait: *Erat vir bonus*, STATURA IMPERATORIA, *eloquentia mediocri*, *optimo ingenio*, *&* ROBUSTO CORPORE *præditus*. Ea autem deſcriptio optime quadrat cum hac protoma, & cum ejus, qui pauciſſimi ſunt, nummis, necnon verbis Dionis (11), qui eo quamfamiliariſſime utebatur. Verba autem hæc ſunt: Τήν τε γὰρ

(1) Petron. Satyric. p. 365. edit. Amſtel. 1669.
(2) Priap. carm. 45.
(3) Serv. ad Æn. libr. 12. v. 100.
(4) Aldrov. *Statue ant.* p. 171.
(5) Dio libr. 74. p. 841.
(6) Meurſ. de fun. cap. 17.
(7) Jul. Capitol. in Pertinac. cap. 15.
(8) Xiphil. in Severo p. 311.
(9) Sponius *Recherch.* diſſ. 24.
(10) Patin. Imper. Rom. Num. p. 216.
(11) Dio libr. 73. p. 839.

γὰρ ψυχὴν ἄριστος ὤν, καὶ τῷ σώματι ἔῤῥωτο. *Erat enim optimo animo, & corpore robuſto.* Teſte autem Herodiano (1) erat ſerius, & clemens ſimul, necnon indolem præferebat comem, & mitem. Quum a militibus prætorianis poſt breviſſimum imperium occiſus fuerit ætatis anno 67. quot ſane eum habuiſſe monſtrat hæc protome, manifeſtum eſt hanc cælatam fuiſſe, quo tempore illi Imperium delatum fuit, quo ſeneſcentis ætatis cauſſa abdicare ſe in Senatu ſtuduit.

MANLIA SCANTILLA. LI.

HÆc Didii Juliani uxor eſt, qui Imperium mercatus eſt a militibus, quo adepto eos pretio fraudavit, nec promiſſis ſtetit. Dein jubente Senatu interfectus eſt per militem gregarium, corpuſque huic Manliæ Scantillæ ad ſepulturam redditum, ut ait Spartianus (2), & in proavi monumento compoſitum. Filiam ex Juliano ſuſcepit nomine Didiam Claram, pulchritudine omnes ſui ævi feminas excedentem, quamvis matre magis deformi natam. Sub Junonis ſpecie Manlia colebatur, quæ in nummis hujus deæ habitu excuſa cernitur, ex quibus eruditi hanc protomam intellexerunt ad hanc feminam Auguſtam pertinere; illo autem honore una cum filia donata eſt, dum Julianus Imperium adeptus eſt, ut ipſemet Spartianus (3) teſtatus eſt. Hæc protome ex unico, ſolidoque marmore Pario exſculpta magni facienda eſt, uti etiam nummi, qui admodum rari ſunt, ac ſecundi moduli, atque etiam auro (4) tres vero perrariſſimi. Duos refert Vaillantus, Mediobarbus (5), quorum unus adſervabatur in Muſeo Reginæ Svecorum, uti etiam alter maximi moduli, de quibus videndus eſt Havercampus (6).

PESCENNIUS NIGER. LII.

HOc Peſcennii marmoreum caput tam rarum eſt, quam quod rariſſimum, Peſcennius enim vix Imperio deguſtato occiſus eſt; quare tam brevi temporis ſpatio neque cudere nummos, neque ei ſtatuas ponere, neque ejus cælare imagines potuerunt artifices ſeu in marmore, ſeu in ære. Caput, de quo ſermo eſt, grandioribus membris, ac gravi aſpectu, & potius pulchro illum repræſentat, ſed ætate provectiorem, quum ſexageſimum prope annum natus Imperator fuerit electus. *Fuit ſtatura Peſcennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita ut in campo loquens per mille paſſus audiretur, niſi ventus adverſaretur: oris verecundi, & ſemper rubidi: cervice adeo nigra, ut quemadmodum multi dicunt, ab ea Nigri nomen acceperit. Cætera corporis parte candidus, & magis pinguis*, ut ait Spartianus (7). Alibi vero adfirmat (8) eum fuiſſe moribus ferocem; & Marcus Antoninus (9) Cornelio Balbo ſcribens dicit, eum eſſe *vita gravem*; ac idem Spartianus (10) tandem infert: *Nemo fuit, qui ſuis temporibus dux ſeverior videretur*; ſed qualis hæc ſeveritas fuerit, docens, eam in laudabili ſane vivendi genere, & ſecundum egregiæ moderationis normam reponit; ac tandem ſubdit, illum ſi diu vixiſſet, corruptos Populi Romani mores correpturum: *& quidem ſine crudelitate, imo etiam cum lenitate, ſed militari, non remiſſa, & inepta, atque ridicula*. Quæ omnia ſimul luculenter demonſtrant, quam eleganter duxerit e marmore ejus vultum noſter artifex. A ſubfuſco colore Nigri nomen illum traxiſſe innuit Spartianus, non e ſua ſententia, ſed quemadmodum fama vulgaverat; quod aperte eruitur ex Græco epigrammate, quod rudi profecto ſtylo vertit Spartianus ipſe, & quod ſub Peſcennii ſimulacro in trichoro, ſcilicet in ſummitate domus ipſius Peſcennii, poſitum fuit e marmore Thebaico (11):

Terror Ægyptiaci Niger aſtat militis (l. *limitis*) *ingens*,
Thebaidos ſocius, aurea ſecla volens.

Hunc

(1) Herod. libr. 2.
(2) Spart. in Didio Jul. cap. 8.
(3) Idem ibid. cap. 3.
(4) Vaill. Num. præſt. Tom. 1. p. 107. & Tom. 2. p. 199. edit. Rom.
(5) Mediob. Imper. num. n. 63.
(6) Havercamp. Nummophyl. Tab. 63. n. 15. & 16. & Tab. 24. n. 7. 8. &c.
(7) Spart. in Peſcenn. ibid. cap. 10.
(8) Idem ib. cap. 1.
(9) Idem ib. cap. 4.
(10) Idem ib. cap. 6.
(11) Apud eundem ib. cap. ult.

Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma;
Hinc Antoninis charus, & Imperio.
Nigrum nomen habet, NIGRUM *formavimus ipſi,*
Ut conſentirent forma, METALLA *ſibi.*

Nigri marmoris appellatione hic venire autumo baſaltem, ſeu quid aliud nigrum marmor; uti etiam *metallum*, quod alibi innuimus, (1) lapidem deſignare; de qua appellatione videndi ſunt Caſaubonus, Salmaſius, & Gruterus (2), qui multa erudite congerunt. Unum addam ex Carolo Patino (3): *Quam ſint rari hujuſce Imperatoris nummi, norunt omnes, qui nummos tractant, ex quocunque ſint metallo: at æreos ſupra argenteos raros eſſe, certum eſt, quum in cimeliarchiis adſervatos compererim ſupra viginti ex argento, & unus tantum, aut alter occurrat in ære.*

CLODIUS ALBINUS, LIII.

Qualis, quantaque fuerit Clodii Albini in re militari virtus, & quanta ejus in rempublicam merita, apparet ex epiſtolis Marci Aurelii Antonini, qui duas legiones ei regendas dederat, in quarum epiſtolarum altera appellatur *homo* (4) *exercitatus, vita triſtis, gravis moribus*, & quem Marcus putabat *rebus caſtrenſibus profuturum.* In altera vero legitur: *Laudanda eſt Albini conſtantia &c. Habemus igitur virum dignum conſulatu*. Quamobrem ejus imago marmore ſculpta merito ſeris tranſmiſſa eſt nepotibus. Multa in illius vita accideruntglorioſa, & memoria digna, ob quæ fortaſſe ei ſimulacra poſita, & protomæ exciſæ fuerunt; ſcilicet quum *Bythinicos exercitus eo tempore, quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit*, ne ad Avidium Caſſium confugerent, ut narrat (5) Capitolinus. Vel quum conſul eſt renunciatus, ſuffectuſque (6) in locum Caſſii Papirii, quem ferme exanimem eſſe nunciabatur: vel quum conſul deſignatus eſt (7) ab ipſo Severo. Potuit etiam ſtatuæ honore donari, quo tempore (8): *Per Commodum ad Gallias translatus, in qua fuſis Friſiis Tranſrhenanis; celebre nomen ſuum & apud Romanos, & apud barbaros fecit*. Miris quoque acclamationibus, ac laudibus Senatus eum ornavit, & ampliſſimas illi abſenti gratias egit, ob inſignem concionem, quam ad legiones Britannicas (9) habuit, quum falſus rumor percrebuiſſet, Commodum interemptum eſſe, nam in ea ſummam animi moderationem, atque fidem erga publicum bonum, atque erga Senatum ipſum, & patriam prætulit. Idcirco de eo ſcripſit Capitolinus (10): *A Senatu tantum amatus fuit, quantum nemo principum*. Sed ex hoc ipſo, quod Commodum in Albinum omnes exaſperatum intelligerent, nemo fortaſſe ejus imaginem apud ſe habere tutum putavit, eoque minus eam publice exhibere, ne invidiam teterrimæ illius belluæ ſibi conflaret. Quamobrem vero ſimilius eſt, hanc protomam tunc cælatam fuiſſe, quum Pertinaci conſilium datum, ut in ſocietatem Imperii eum adſciſceret, ſeu quum Septimius Severus illum Cæſarem appellavit. Equidem a veritate alienum mihi videtur, ſimulacrum, de quo in præſentia loquimur, tum exſculptum fuiſſe, quum poſt Pertinacis mortem in Galliis Imperator eſt renunciatus; & re vera imago hæc magis, quam ſenem, juvenem illum præfert. *Ad Imperium autem pervenit* NATU JAM GRANDIOR, *& major Peſcennio Nigro*, (11) teſte Capitolino. Fuit aſpectu truci, uti erat animo, a prima adoleſcentia, quod ab eodem hiſtorico diſcimus, qui ait: (12) *Eruditus litteris Græcis, ac Latinis mediocriter, quod eſſet* ANIMI JAM MILITARIS ET SUPERBI, quam oris ſpeciem ſemper retinuit, quum de eo M. Aurelius (13) ſcripſerit: *Eſt homo exercitatus*, VITA TRISTIS, *gravis moribus*, & poſtea (14) ſubdat: ATROX *circa militem*, quod plurimis exemplis oſtendit. Quæ omnia reſpondent ejus vultus lineamentis, quæ clare in hac imagine apparent, omnino nummis reſpondente, ac verbis ejuſdem hiſtorici (15): *Fuit ſtatura procerus*, CAPILLO RENODI ET CRISPO, FRONTE LATA, *& candore mirabili, & ut plerique putant, ex eo*

(1) Vide ſupra pag. 6.
(2) In Notis ad Spartian. ibid.
(3) Patin Imper. Rom. num. p. 219.
(4) Capitol. in Clodio Albino cap. 10.
(5) Idem ibid. cap. 6.
(6) Idem ibid. cap. 10.
(7) Idem ib. cap. 3.
(8) Idem ibid. cap. 6.
(9) Idem ib. cap. 13.
(10) Idem ib. cap. 12.
(11) Idem ib. cap. 7.
(12) Idem ibid. cap. 5.
(13) Idem ib. cap. 10.
(14) Idem ib. cap. XI.
(15) Idem ibid. cap. 13.

eo nomen accepit. In Muſeo Mediceo marmorea conſpicitur hujus Imperatoris imago, ſed ætate provectioris, & barba longiore, & ampliore, ac thorace ex alabaſtrite Orientali, quamvis caput ſit ex albo marmore.

SEPTIMIUS SEVERUS. LIV. LV. ET LVI.

POſt Pertinacis obitum Didus Julianus, Peſcennius Niger, & Clodius Albinus Imperium invaſerunt, quos omnes vicit, atque extinxit Septimius Severus ſeu virtute, ſeu dolo. Hic, ut ait Eutropius (1), *oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti &c. ſolus ex omni memoria & ante, & poſtea ex Africa Imperator fuit*. Vir fuit litteris, & armis clarus. Ejus indolem idem Hiſtoricus enarrans ait: *Parcus admodum fuit; natura ſævus*; cujus ſævitia in harum imaginum lineamentis, ſi ea attente inſpicias, nonnihil apparet. Sed luculentius ejus naturam, moreſque deſcribit Herodianus, (2) quem ſic vertit Politianus: *Severus genere Afer, vehemens homo negociis gerendis, ac* FEROX, *vitæque non inſuetus duræ, & aſperæ, promptus excogitandis, acer exequendis rebus*. Quapropter Albini familiares identidem illum per literas admonebant, caveret a Severo homine perfidioſo, fraudis pleno, & inſidiarum, ut idem Auctor (3) narrat. Verum mitiorem de illo fert ſententiam Aurelius (4) Victor ſcribens: *Fuit bellicoſiſſimus omnium, qui ante eum fuerunt: acer ingenio: ad omnia, quæ intendiſſet, in finem perſeverans; benevolentia, quo inclinaſſet, mirabili, ac perpetua: ad quærendum diligens, ad largiendum liberalis: in amicos, inimicoſque pariter vehemens*. Hæc animadvertiſſe volui, ut appareat, hunc Imperatorem multis præditum fuiſſe virtutibus, ob quas, & ob imperii diuturnitatem factum eſt, ut multæ illi ſtatuæ poſitæ fuerint, multæque marmoreæ imagines, quibus non ſolum noſtrum, ſed & alia Muſea ornantur, inter quas ſupereminet artificio, & marmoris egregii pretio, quæ num. LIIII. notatur, quod veſtis ejus ſit ex alabaſtrite Orientali maxime translucido ultra hujus lapidis modum, cui ſimilem nunquam me vidiſſe memini, præſertim ſi fruſtum conſideres tantæ magnitudinis. Hunc thoracem erutum fuiſſe ferunt abſque capite, dum fundamenta effoderentur ædium a Stigmatibus S. Franciſci nuncupatarum, cui ſuperpoſitum fuit Severi caput. Hæc autem protoma ab Alexandro Albanio Cardinali ampliſſimo dono data fuit BENEDICTO XIIII. Pont. Max. qui vehementer ſtudet, ut pretioſas antiquitatis reliquias vindicet a communi naufragio, quo identidem pereunt, atque oblivione obruuntur, a barbarie, veluti a fœda tempeſtate, vel ab avaritiæ fluctibus in remota littora jactatæ, atque eam tanquam in tuto portu in noſtro Muſeo collocavit. Hujus Imperatoris caput marmoreum, quod erat in ædibus Dominici Capotii, memorat Aldrovandus, (5) aliud (6) vero apud Laurentium Ridolfium Cardinalis fratrem, (7) aliud in Palatio Cancellariæ, aliud (8) denique in Cardinalis Carpenſis.

JULIA PIA. LVII.

SEptimius Severus ſecundam uxorem habuit Juliam Piam impudicis moribus feminam, quæ nec etiam inceſtus crimine vacavit. Hujus autem hæc eſt imago marmore albo exſculpta ſimilis omnino ei, quæ in nummis conſpicitur, qui paſſim occurrunt, ut videre eſt in (9) Mediobarbo, Begero (10), Vaillanto, aliiſque rei nummariæ ſcriptoribus, nam aurei tantum non ita facile reperiuntur. Hæc mulier (11) formoſa habebatur, & ta-

(1) Eutrop. libr. 8.
(2) Herod. libr. 2. cap. 33. edit. Oxon. 1704.
(3) Herod. libr. 3. cap. 16.
(4) Aurel. Vict. Epit. n. 20.
(5) Aldrov. *Statue antich.* p. 264.
(6) Idem ibid. p. 293.
(7) Idem ibid. p. 165.
(8) Idem ib. p. 202.
(9) Mediob. Imper. Rom. num. n. 68.
(10) Beg. Theſaur. Brand. p. 694.
(11) Spart. in Caracall. cap. 10. & Spon. *Recherch.* diſſ. 24.

talis apparet in duobus nummis maximi moduli, qui in Muſeo (1) Reginæ Svecorum exſtabant, Græcus alter, alter vero Latinus, in quorum averſa parte adeſt Venus, Dearum pulcherrima, & quorum unus eam præfert pomum Diſcordiæ altera manu tenentem, altera palmam cum epigraphe VENERI VICTR. Quodammodo deſignat hanc mulieres ceteras pulchritudine ſuperare, quemadmodum Venus duas ſuperaverat Deas. Quapropter Egeates, ac Smirnenſes eam Cleopatræ adſimilarunt, ut animadvertit eruditiſſimus (2) Havercampus in Notis ad Paulum Oroſium, ubi mentionem facit nummi cujuſdam maximi moduli, quem penes ſe habebat. Aurelius (3) Victor de Caracallo loquens ait: *Juliam novercam, cujus facinora ſupra memoravi* (nempe in Vita Septimii Severi) FORMA *captus, conjugem appellavit*. Hic autem minime prætermittendum eſſe arbitror, Aurelium, & omnes ferme in Romana hiſtoria eruditos, ipſum non filium, ſed privignum Juliæ arbitrari; nec unicus hic error in Aurelii libris deprehenditur, quum ejus hiſtoriam ex variis fragmentis undique decerptis contexuerit, ut aliquando etiam ſibi ipſi contradicat. In eumdem errorem impegerat (4) Spartianus, cui opponitur (5) Salmaſius, fretus Dionis, Oppiani, Philoſtrati, aliorumque Græcorum ejus ætatis Scriptorum auctoritate, quæ plurimi facienda eſt, quem etiam ſequutus eſt Sponius (6) in enarratione nummi maximi moduli, ubi de hac femina Auguſta multa profert.

ANTONINUS CARACALLUS.
LVIII. ET LIX.

Major hic natu Septimii Severi filius Baſſianus primum appellatus eſt, deinde ob quoddam veſtimenti genus, de quo videndus eſt Pitiſcus, qui luculenter de hac veſte diſputat, Caracallus, & a patre Antoninus nuncupatus fuit, cui optaverat, ut ſimilis vita, & moribus foret, ſed longe abfuit ab optimi illius Imperatoris in regendis populis humanitate, & juſtitia, immo parum abfuit, quin ceteros omnes, qui Romanum rexerant Imperium, crudelitate ſuperaret, quæ crudelitas manifeſta apparet in vultus hujus marmorei feritate, ac in truci ſupercilio, ac capite minaciter obliquo. Animadverſione dignum eſt, omnia ferme hujus Imperatoris capita eodem modo eſſe conformata, ut ab uno, eodemque exemplare ſumpta videantur. Talis enim eſt protoma Muſei Medicei, talis illa ab admirabili ſane artifice cælata, quæ in ædibus Farneſianis adſervatur, talis, quæ non minoris excellentiæ exſtat Florentiæ apud Marchionem Antonium Niccolinium V. Cl. egregia indole a natura præditum, quam ſtudio, ac peregrinationibus excoluit. Notandum quoque eſt, ita oblique converſum apparere torvo, ferocique vultu vel in nummis, ut videre eſt in iis maximi moduli, qui in bibliotheca Vaticana (7), & Medicea (8) Gaza ſervantur. Hoc autem omnino reſpondet hiſtoricorum verbis, nempe (9) Herodiani, qui illum audacem, atque iracundum juvenem appellat, & poſtquam retulit orationem, quam ad amicos fratris ſui Getæ, quem in ſinu matris propriis manibus interfecit, ſubdit: *Hæc locutus magna voce, irarumque plenus, ac* TRUCULENTO VULTU *illius amicos* INTUENS *&c.* ut eleganter vertit Politianus. Quamobrem Spartianus, qui antea de ipſo ſcripſerat (10): *Hujus igitur pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui*; ſubdit: *Egreſſus vero pueritiam &c. gravior*, VULTU *etiam* TRUCULENTIOR *factus eſt, prorſus ut eum, quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent*. Atque (11) alibi: *Odium tyrannicum meruit, quamvis aliquando fingeret ſe benignum, quum eſſet* NATURA TRUCULENTUS; & ut omnia verbo complecteretur tandem uno, ait (12): *Fuit male moratus, &* PATRE DURO CRUDELIOR. Quæ crudeli-

(1) Havercamp. Nummoph. Reg. Chriſt. Tab. XXVI. n. 4. 5 6. & 7.
(2) Havercamp. ad lib. 7. Hiſt. Oroſ. cap. 18. pag. 505.
(3) Aurel. Vict. de Cæſ. cap. 21.
(4) Spart. in Caracalla cap. 10.
(5) Salmaſ. in notis ad Spart. in Severo cap. 18. & 20.
(6) Spon. *Recherch.* Diſſ. 12.
(7) Vide V. Cl. Rudolph. Venut. in Numm. Biblioth. Vatic. Tab. LI.
(8) Vid. V. Cl. Ant. Franc. Gorium Muſ. Florent. Tom. 4. Claſſ. II.
(9) Herod. libr. 3. cap. 42.
(10) Spart. in Caracall. cap. 1. & 2.
(11) Idem ibid. cap. 5.
(12) Idem ibid. cap. 9.

delitas ſtatim emicuit, nam duodecim, vel tredecim annos natus patrem ad ſævitiam impulit, quem etiam occidere aggreſſus eſt. Hoc autem caput ex albo marmore, & eximia arte excuſum eſt, thorax vero porphyreticus ſolito rubicundior, ac minutulis albiſque maculis ferme deſtitutus, antiquo opere, & in humero tantum ſiniſtro reſtauratus, & ad Romanorum loricæ modum conformatus, etſi Herodianus dicat; (1) *Sæpe etiam Romano cultu depoſito* VESTEM GERMANICAM *induebat*, *atque in eorum* SAGULIS ARGENTO VARIEGATIS *conſpiciebatur*. Et deinde ſequitur: *Ipſe prodibat* MACEDONICO HABITU, *cauſiam geſtans*, *& crepidas*. Capillos perbreves, ac admodum criſpos, minuſculis cirris, & maxime preſſos præfert. Idem autem Hiſtoricus narrat: (2) *Etiam* FLAVAM CAPITI CÆSARIEM *imponens ad modum Germanicæ tonſuræ*; quæ cæſaries facillime aptari poſſet breviſſimis illis crinibus, qui in ejus imaginibus conſpiciuntur. Aldrovandus (3) memorat in domo Bernardini Fabii apud S. Luciæ in vico officinarum obſcurarum ſtatuam hujus Imperatoris exſtare more ſacerdotum veſte talari indutam. Nunc in ædibus Farneſianis ejus ſtatua Romano modo armata adſervatur. Idem etiam (4) memorat tres protomas, quarum aliqua fortaſſe nunc eſt in noſtro Muſeo. De nonnullis Caracalli imaginibus, ridendis ſane, ſermonem inducit Herodianus (5) his verbis: *Vidimus item imagines nonnullas ridicule depictas*, *quæ uno corpore duas facies præferrent Alexandri*, *atque Antonini*. Et quidem Antoninus Caracallus, uti etiam Alexander Magnus, ſtatura puſillus erat, ita ut *inſtar miraculi videbatur* TANTULÆ HOMINEM STATURÆ *tantis eſſe laboribus parem*, ut ait idem (6) Herodianus, quod etiam quodam modo conjicitur ex hac imagine; cujus caput rotundum, & breve maxime homini hujuſmodi reſpondet. Altera protome num. LIX. e conſpectu reſpicit, nec in obliquum vergit, ut ceteræ ejus imagines ferme omnes, quare magis eſt ſingularis. Minime profecto omittenda ſunt, quæ de ejus facie ſubtiliter notavit Sponius (7) dicens: *Caracalle a je ne ſçay quoy dans ſon air*, *qui ne me plaît point &c. Il me ſemble*, *que l'entre-deux des ſourcils froncé*, *les yeux enfoncez*, *& le narinne un peu retirée en haut*, *qu'on obſerve dans cette medaille de Caracalle*, (& in omnibus aliis, & in omnibus ejuſdem ſimulacris) *luy font le viſage d'un homme penſif*, *diſſimulé & mechant*.

SEPTIMIUS GETA. LX.

INter rariores protomas hæc adnumeranda eſt, nam in illuſtrioribus, & refertiſſimis antiquorum monumentorum Muſeis nullæ ferme hujus infelicis juvenis, Caracalli fratris, reperiuntur, quamvis Aldrovandus quinque autumet ſe tales reperiiſſe, quarum una hæc noſtra fortaſſe eſt. Verumtamen paucas fuiſſe dicendum eſt, ſi animadvertamus, Aldrovandum (8) totam totam tam publice, quam privatim perſcrutatum eſſe Romam, harum elegantiarum ſedem, & inſuper ea ætate multo ditiorem ſine comparatione, quam in præſentia, poſtquam ingens earum vis per univerſam Europam diſſita eſt. Præterea Getæ effigies facili negotio pro alia ſumitur, quum nulla habeat lineamenta exſtantia, ac peculiaria, quibus a ceteris eam differre appareat manifeſte, præſertim quum ejus tempeſtatis viri non adeo antiquitatis gnari forent, ut has protomas probe diſtinguerent Getæ, an alterius ex antiquis Romanis eſſent. Multum non ſolum populus, ſed etiam milites amore proſequuti ſunt Getam, qui teſte Spartiano (9), Cæſarem etiam illum dixerunt, nam multis virtutibus præfulgebat, quas idem Scriptor enumerat his verbis (10): *Fuit in literis aſſequendis & tenax veterum ſcriptorum*, *& paternarum etiam ſententiarum memor*: *fratri ſemper inviſus*: *matri amabilior*, *quam frater*: *ſubalbe tamen canorus*. Hac forte de cauſa multi cuſi fuerunt nummi in ejus honorem, qui, ut ait Vaillantus, (11) *primæ magnitudinis rari ſunt*, *ſecundæ triti*, *& vulgares*; maxime argentei. Et (12) alibi: *Getæ nummi ex argento obvii*, *ex auro inter rariores collocandi*. Nonnulli quoque maximi moduli adhuc ſuperſunt, qui melius conferri poſſunt cum hac protoma, quæ eis omnino reſpondet. Ex his unus ære flavo cuſus cum Getæ Cæſaris capite abſque laurea

ſer-

(1) Herod. libr. 4. cap. 12.
(2) Idem ibid.
(3) Aldr. *Statue ant.* p. 231.
(4) Idem ibid. p. 135. 189. & 204.
(5) Herod. libr. 4. cap. 13.
(6) Idem ibid. cap. 12.
(7) Spon. *Recherch.* diſſ. 24.
(8) Aldrov. Statue ant. p. 165. 170. 189. 198. & 287.
(9) Spartian. in Sev. cap. 16.
(10) Idem in Geta cap. 4.
(11) Vaill. Num. præſt. T. 1.
(12) Idem ibid. Tom. 2.

ſervatur in Muſeo Carpineo, quem luculenter de more enarravit Senator (1) Bonarrothius. Alter aderat in Muſeo Carthuſianorum, nunc Cæſareo; alter tandem in (2) DD. Piſanorum, omnes vero Græci. Unus tantum Latinus in Muſeo Mediceo, *eximiæ raritatis*, *&* *elegantiæ*, ut ait eruditiſſimus (3) Propoſitus Gorius inter principes antiquarios jure adnumerandus. Neque ejus honori obfuit, quod Antoninus Caracallus illum odio plus quam Vatiniano inſequeretur, qui etiam ipſum impie necavit, nam poſt ejus mortem eum inter divos referri permiſit, ut narrat (4) Spartianus: *Denique cum inter divos retulit*, *atque ideo utcunque rediit cum fama in gratiam parricida*; volens qualicunque modo invidiam tanti facinoris, atque nefarii fratricidii vitare. Getæ ſtatuam æneam quoque Severus pater ponendam juſſit, ut Xiphilinus (5) refert ex Dione.

MACRINUS. LXI.

INter rariores protomas, hæc quoque Macrini habenda eſt; tum quod brevi tempore rexit Imperium, nempe: *menſibus ferme quatuor*, *ac decem vix retento Imperio*, ut ait Aurelius (6) Victor; tum quod fuerit ſævis, ac inurbanis moribus, & ut advertit (7) Svidas, etiam impudicis, & effeminatis, ideoque omnibus odio habitus. Quamobrem, ut tantam declinaret invidiam, nunc Antoninus, nunc Severus appellari voluit, ut populo, militibuſque minus ſeſe redderet execrandum. Animi vero turpitudini conſentanea etiam corporis forma videbatur; quamobrem bene de ipſo profatus eſt Capitolinus (8), quum eum appellavit: *Animi*, *atque oris inverecundi*, & clarius, pluribuſque verbis Aurelius quidam Victor (9), ab Hiſtorico diverſus: *Macrinum*, ait, *libertinum hominem*, *proſtibulum*, *ſervilibus officiis occupatum in domo Imperatoria*, *venali fide*, *vita ſordida &c.* Erat præterea mirum in modum ſubdolus, quod manifeſte apparuit, quum Caracallus interfectus eſt, nam ut refert idem Capitolinus: (10) *Deinde quum eſſet præfectus prætorio*, *collega ablegato*, *Antoninum Caracallum Imperatorem ſuum interemit* TANTA FICTIONE, *ut ab eo non videretur occiſus*. Ab (11) Herodiano accepimus, illum longiorem barbam nutriviſſe, ut in hoc marmore videre eſt, quod ab eo fiebat, ut ſimilis foret M. Aurelio, a cujus moribus toto cœlo differebat. Hæc Herodiani ſunt verba, quæ Politianus ſic vertit: *Antiochiæ morabatur barbam nutriens*, *&* *incedens*, *quam ſolebat*, *lentius*, *tardiſſimeque &c. Hæc enim demum ſibi de Marci moribus imitanda propoſuerat*, *quum ad illius reliquam vitam nullo pacto aſpiraret*. Verum poſt cladem Syriam, ut incognitus evaderet, barbam poſuit, ut ait idem Hiſtoricus, (12) & Xiphilinus (13) ex Dione. Contra laudibus hic poſtremus Auctor (14) eum extollit, affirmatque illum ignobilitatem generis probitate, & æquitate texiſſe. Idem (15) ait, alteram aurem habuiſſe perforatam, ut eſt Maurorum conſuetudo, quod argumentum erat, ipſum ignobili natum eſſe loco. Hoc autem in noſtro marmore minime apparet; nec enim hæ minutulæ partes exprimi poſſunt, & ſculptores etiam nunquam expreſſiſſent, quod Imperatori probri eſſet, qui ignobilitatem ſuam, (16) quantum poterat occulere ſtudebat, ut plurimi faciunt, delicate, & luxurioſe vivendo. Multæ illi ſtatuæ poſitæ fuerunt, ut coërcendi fuerint, qui argenteas, & aureas collocabant. Quatuordecim menſes Imperium tenuit, ut ex (17) Dione deprehendimus, ac quinquageſimo quarto anno ætatis ſuæ mortuus eſt, quapropter hanc protomen excuſam fuiſſe apparet, quum ad Imperium acceſſit, nam eam propemodum ætatem præfert. Tria hujus Imperatoris capita marmorea Romæ offendiſſe ſcribit (18) Aldrovandus, quæ nunc, uti cetera ferme omnia, de quibus ille mentionem fecit, ubi reperiantur, neſcimus.

DIA-

(1) Bonarr. *Oſſerv. Medagl.* Tav. x. p. 211.
(2) Muſ. Piſan. num. 45.
(3) Gorius in Muſ. Flor. Tom. 3. p. 80.
(4) Spart. in Geta cap. 2.
(5) Dio libr. 76. pag. 860.
(6) Aurel. Vict. de Cæſar. cap. 22.
(7) Svidas in Excerptis.
(8) Capitolin. in Macrin. cap. 2.
(9) Apnd eundem Capitol. ibid. cap. 4.
(10) Idem ibid.
(11) Herodian. libr. 5. cap. 2.
(12) Herodian. libr. 5. cap. 8.
(13) Dio libr. 78. p. 889.
(14) Idem libro eodem p. 884.
(15) Xiphil. in Macrino p. 361.
(16) Dio libr. eod. p. 845.
(17) Dio ibid. & p. 889. & 905.
(18) Aldrov. *Statue ant.* p. 138. 141. & 264.

DIADUMENIANUS. LXII.

Pauca dicenda ſunt de imagine Diadumeniani , qui parum vixit , nam vix decennium exceſſit, ut (1) ait Dio, qui illum ea ætate Imperatorem deſignatum fuiſſe narrat, cujus ſententiam ſequutus eſt Tillemontius (2), quamvis nonnulli, ut animadvertit Patarolus (3), crediderint hoc duodecimo ejus ætatis anno accidiſſe. Quare non intelligo, cur (4) Mediobarbus ſexdecim annos vixiſſe adfirmet . Nam (5) Ælius Lampridius *puerulum* eum appellat dicens : *Poſt hoc ipſe* PUERULUS *Diadumenus Antoninus Imperator dixit*: *Gratias ago vobis &c.* quæ appellatio non utique juveni ſexdecim annorum conveniret . Altera quoque protoma , quæ in Muſeo Mediceo exſtat, eamdem monſtrat ætatem, cui ſimilis eſt ea, quam penes ſe habet in ſuo peculiari Muſeo V. Cl. Gorius. Noſtra autem puerum decem annos prætergreſſum fortaſſe refert, ſed hoc vel opificis arte, qui ut majorem in ejus vultum induceret majeſtatem, oris lineamenta aliquantulum auxit, ut moris erat ſculptorum excellentium , quorum nonnulli , quamvis pauci , ſupererant adhuc, vel factum eſt , quod ſtatura foret proceriore , quam ejus anni ferrent, unde (6) Lampridius ait: *Puer fuit omnium ſpecioſiſſimus* , STATURA LONGIUSCULA , *crine flavo* , *nigris oculis naſo deducto*, *ad omnem decorem mento compoſito* , *ore ad oſcula parato*, FORTIS NATURALITER . Quæ omnia huic protomæ examuſſim reſpondent , nam & facies grandis eſt, & naſus gracilis, quem Græci εὐθυῤῥὶν, & Salmaſius (7) *tractilem*, ſeu *tractitium* non omnino Latine appellat , mentum venuſtum , & labia ſuave immodica , & nonnihil prominentia, quod innuunt verba illa: *ore ad oſcula parato* ; ac tandem adoleſcentulus ſane apparet, ſed fortis, ac validus. Ex hac noſtræ protomes deſcriptione, ejus elucet excellentia, atque elegantia, quæ etiam pretioſior evadit ob thoracem, qui lapide alabaſtrite achatis ſimili excuſus eſt. Huic etiam marmori congruit acclamatio ei in Circo (8) facta:

Egregius forma juvenis ....

Nummus quidam argenteus exſtat, optime conſervatus, cujus nec Mediobarbus, nec alius nummariæ rei ſcriptor mentionem fecit . In eo caput hujus adoleſcentuli conſpicitur, atque in poſtica parte Lunæ currus . Theſauri (9) Britannici auctor credit , hoc ad Diadumeniani pulchritudinem reſpicere, & quemadmodum fertur Lunam Endymionem arſiſſe ob egregiam ejus formam, ita etiam Diadumenianum amaſſe eadem de cauſa, vel oblitam eſſe primum , ob novum amatorem . Verum P. Froelichius dubitat , ne hic nummus fictus ſit, ut videre eſt in ejus erudita Diſſertatione *De nummis monetarum veterum culpa vitioſis* . Quod ad oris ſimilitudinem hic nummus omnino reſpondet noſtræ protomæ. Vide ſis nummum maximi moduli in honorem Macrini cuſum , qui exſtat in Muſeo Carpineo, & quem edidit (10) Senator Bonarrothius, ubi ſculptum eſt etiam Diadumeniani caput, qui nondum decimum annum attigiſſe videtur. Hic idem nummus etiam in Muſeo Florentino Tab. LXI. & in Muſeo de Camps iterum profertur, qui omnes iiſdem typis cuſi videntur, atque iiſdem ſiglis ET B obſignati, ideſt *anno ſecundo*, anno ſcilicet, quo interfectus fuit . Nec prætereundum eſt , hanc protomem cum iis , aliiſque nummis in oris ſimilitudine convenire , quamvis argenti, & ærei admodum rari ſint, aurei vero rariſſimi. Capitolinus, Lampridius, Aurelius Victor, atque Eutropius illum Diadumenum appellant, nummi contra ſemper Diadumenianum , quemadmodum Herodianus quoque, & alii Graeci ſcriptores, nam ita re vera nominabatur, ſed compendii cauſa Diadumenus dictus, quod factum eſt etiam in aliis longiuſculis nominibus, veluti in Calcondyla, pro Calcocondyla &c.

(1) Dio libr. 78. p. 902.
(2) Tillemont. *Hiſtoir. des Emper.* T. 3. in Macr. art. 9.
(3) Patar. Ser. Auguſt. in Macrino.
(4) Mediob. in Diadum.
(5) Lamprid. in Diadum. cap. 2.
(6) Lamprid. ibid. cap. 3.
(7) Salmaſ. in Notis ad Lamprid. ibid. cap. 3.
(8) Capitolin. in Macrin. cap. 12.
(9) Haym Theſ. Britann. Tom. 2. p. 251.
(10) Bonarr. *Oſſervaz. Medagl.* Tab. XI.

HELIOGABALUS. LXIII.

AUrelius Victor hunc Imperatorem appellat Aurelium Antoninum Varium, at verum ejus nomen fuit Baſſianus. Avitum autem eum nuncupavit Dio (1), poſtea vero ſemper Pſeudo-Antoninum; multa præterea illi agnomina tribuit, quæ etiam legi poſſunt in Lampridio (2), ſed luculentius in Indice tomi 3. hiſtoricorum Græcorum, qui res Romanas ſcripſerunt, quique Minores dicuntur in v. *Heliogabalus*. Poſtea vero Helagabalus paſſim vocatus, vulgo Heliogabalus, & Ἐλααγαβάλος ab Herodiano. Hujus nominis ratio ab his Victoris verbis eruitur: *In Solis ſacerdotium, quem* HELIOGABALUM *Cyri vocant, tanquam aſylum inſidiarum metu confugerat, hincque* HELIOGABALUS *dictus*. Sed de hoc nomine, & de hoc idolo videndi ſunt Caſaubonus, Salmaſius, & Henninius in Additamentis ad Hiſtoriam Auguſtam Imperatorum Hamelowii, qui multa affatim, atque erudite congerunt. Hic fuit fœdior, libidinoſior, crudelior, & pecudum more peni deditus magis omnibus, qui eum in Imperio præceſſerant, quapropter eum finem ſortitus eſt, quem meruerat, nam una cum ejus matre fœdiſſimo loco occiſus eſt ſextodecimo, vel ut nonnulli autumant, decimo octavo (3) ætatis anno; quæ poſtrema ſententia magis convenit cum (4) Lampridii verbis, qui eum jam barbam poſuiſſe ſcribit. Hinc eſt, quod in noſtra protoma juvenis quidem apparet, ſed in cujus extremis malis lanugo ſuboritur; ita etiam in nummo maximi moduli Abbatis de Camps, atque in alio, quem Begerus (5) adfert. Pulcher ſane apparet, ut re vera fuit, quare Herodianus de ejus militibus loquens ait (6): *Quum itaque quotidie ad templum itarent*, LIBENTER *ſcilicet* ADOLESCENTEM INTUEBANTUR; *erant autem ex iis nonnulli Roma profugi Meſæ familiares, quibus illa* FORMAM PUERI ADMIRANTIBUS *&c. ait*. ut vertit Politianus. Atque idem hiſtoricus de hoc Imperatore alibi (7) dicit: *Præterea integer ævi, cunctorumque ejus ætatis adoleſcentum* FORMOSISSIMUS. *Quare congruentibus in unum* FORMA CORPORIS, *atque* ÆTATIS FLORE *&c.* Hæc magni facienda eſt imago, quod brevis fuerit ejus vita, ac brevius Imperium trium ſcilicet annorum, menſium novem, & dierum quatuor; & quod poſt ejus mortem Senatus vehementer ſtuduit, ut omnem ejus aboleret memoriam. Herodianus (8) ipſe ſcribit illum in oris lineamentis non multum ab Antonino Caracalla diſcrepaſſe, ut videre eſt in hac protoma.

ANNIA FAUSTINA. LXIV.

INter plures, quas duxit, & repudiavit uxores immanis illa bellua Heliogabalus, tertia fuit Annia Fauſtina M. Aurelii neptis, ideoque ejus uxor habita. Primum nupſerat Pomponio Baſſo viro illuſtri, & gravi. Pulcherrima erat, teſte Dione, (9) & ut videre eſt ex hac protoma. Heliogabalus eam Baſſo ſubripuit, quem etiam occidere fecit: (10) Ὅτι γυναῖκα εὐπρεπῆ καὶ εὐγενῆ εἶχε. *quod pulcherrima, & nobiliſſima mulier eſſet*. Quanti hæc imago facienda ſit, hinc colligi poteſt, quod rariſſimi ſint ejus nummi. De æreis, qui Senatus Conſulto cuſi ſunt (11) Vaillantus ait: *Ejus nummi primæ formæ ſunt eximiæ raritatis, & elegantiæ: mediocres autem nondum obſervavimus*. Atque alibi teſtatur, (12) *quod nummi ex auro nondum viſi*. Argenteum quidem poſſidebat Abbas Rotelenius, in cujus poſtica parte Heliogabalus cernebatur, qui cum hac Auguſta ſibi deſponſata manus conſerebat: & in medio eorum ſtella. In altera vero parte ejuſdem Auguſtæ effigies cum epigraphe ANNIA FAUSTINA AUG. Qui nummus teſte doctiſſimo, atque eruditiſſimo Baldinio in Notis ad Vaillantum unicus eſt, & ſingularis.

Ut ad noſtram protomam redeamus, hujus caput e marmore albo eſt, cetera vero violaceis lineis vario, quod vulgo *pavonazzetto* nuncupatur, quamvis ſit ex uno, ſolidoque lapide hæc protoma, ejuſque baſis.

MA-

(1) Dio libr. 79.
(2) Lamprid. in Heliogab. cap. 1.
(3) Aurel. Vict. Epitom. cap. 23.
(4) Lampr. in Heliog. cap. 51.
(5) Beg. Imp. num. Tab. LV. n. 13.
(6) Herod. libr. 5. cap. 6.
(7) Idem ibid. cap. 5.
(8) Idem libr. 5. cap. 7.
(9) Dio libr. 79. p. 910.
(10) Idem ibid.
(11) Vaill. Numiſm. præſt. Tom. 1.
(12) Idem ibid. T. 2.

MAXIMINUS. LXV.

JAm elegantiores, quæ ad picturam, & ſculpturam ſpectant artes, in præceps ruebant, & ad primævum infelicitatis gradum, rudemque rationem redigebantur, mortuis jamdudum eximiis illis, qui ſub Hadriano floruerant, artificibus, quique aliquantum poſt ejus obitum proprio marte, nec premiis, nec ullis hortamentis inducti ad qualemcumque excellentiam pervenire ſtuduerunt. Hoc clare patet in hac protoma, atque in aliis, de quibus deinceps loquuturi ſumus, quæ informi opificio excuſæ ſunt. Verum in omnibus ſervatam fuiſſe cum archetypo ſimilitudinem comperimus ex nummis, ſi cum ipſis protomis conferantur. Quod uſuvenit in effigie hujus Imperatoris, qui quum eſſet prægrandi mento, & valde exporrecto donatus, ab omnibus aliis probe diſtinguitur. Ille autem, ut ait Capitolinus: (1) *Erat magnitudine corporis conſpicuus, virtute inter omnes milites clarus*, FORMA VIRILI DECORUS, *ferus moribus, aſper, ſuperbus, contemptor, ſæpe tamen juſtus*. Etiam Herodianus (2) eadem ferme habet: *Erat*, inquit, *in exercitu Maximinus &c. ob* CORPORIS PROCERITATEM VIRESQUE INGENTES *equo ſtipendia fecerat*, ut vertit Politianus. Atque alibi dicit: (3) CORPORIS VASTITATE AC ROBORE &c. *aſcitum, quaſique manu ductum a fortuna ad Romanum Imperium*. Et paulo poſt: *Ob* IMMANEM CORPORIS STATURAM, *& militare robur, ac peritiam pugnandi aſcitus ad Imperium*. Ac peculiarius de ejus effigie, oriſque lineamentis loquens (4), ait: *Ceterum* ASPECTU *quoque* ERAT HORRENDUS, *vaſto, atque immani corpore, ut nemo illi vel exercitatiſſimorum Græcorum, vel pugnaciſſimorum barbarorum conferri poſſit*. A Capitolino (5) pariter didicimus, ipſum grandioribus oculis fuiſſe præditum, ut in noſtra protoma videre eſt: *Maximinus* (inquit) *quum eſſet adoleſcens, longitudine autem corporis, & vaſtitate, & forma, atque* OCULORUM MAGNITUDINE, *& candore omnes excelleret*. Et paulo infra ſubdit auctoritate cujuſdam Ælii (6) Cordi: *Erat præterea &c.* MAGNITUDINE TANTA, *ut octo pedes digito videretur egreſſus*: POLLICE ITA VASTO, *ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo*. Tandem tanto pollebat robore, & membrorum immanitate, ut *immortalem ſe prope crederet*, ut idem hiſtoricus adfirmat. Sponius (7) etiam hæc omnia, quæ a priſcis ſcriptoribus ſeorſim dicta ſunt, in unum colligens ait: *Maximin étoit un homme d'une taille giganteſque, ayant huit pieds & demy de haut, en ſorte que le bracelet de ſa femme ſervoit de bague à ſon pouce. Il étoit fort & robuſte comme un autre Milon, ce qui le faiſoit redouter de tout le monde &c. Il avoit le menton fort avancé & fort pointu, qui eſt une marque preſque infallible de fierté, & de cruauté*. Ideo facilis cognitu eſt ejus imago, & facile cum nummis conferri poteſt, qui præter aureos ceteri communes ſunt. Mediam ejus frontem obliqua linea ſecabat, quam Fucſius illuſtris metopoſcopus lineam ſolarem appellavit, quam dicebat præclaram, bonamque fortunam portendere, ut idem Sponius (8) narrat. Quæ linea adeo tenuis erat, & minime ultra cutem exporrecta, ut in noſtro marmore nullum ejus veſtigium compareat.

MAXIMUS. LXVI.

MAximus, qui a Capitolino (9) Maximinus junior nuncupatur, at in nummis, & inſcriptionibus ſemper Maximus appellatus, Maximini Imperatoris filius fuit, & cum eo in ſuo tabernaculo occiſus adhuc florente ætate, quapropter rarior habenda eſt hæc protome, quæ omnino ejus nummis reſpondet, qui ex ære communes, ex aliis vero metallis rariſſimi ſunt, in quibus C. Julius Verus Maximus appellatur. Quum (10) ad patrem Maximinum adlatum eſt Senatus conſultum, quo ille ejuſdem Senatus inimicus decernebatur, parum abfuit quin filio oculum erueret brutali ira correptus, quod Romam pergere noluiſſet, nimio adverſus patrem amoris affectu detentus, quum eo pater illum mittere voluiſſet (11). *Tantæ* PULCHRITUDINIS *fuit, ut paſſim amatus ſit a proca-*

(1) Capitol. in Maximin. cap. 2.
(2) Herod. libr. 6. cap. 17.
(3) Idem libr. 7. cap. 1.
(4) Idem ibid. cap. 4.
(5) Capitol. in Maximin. cap. 3.
(6) Idem ibid. cap. 9.
(7) Spon. Recherch. Diſſert. 24. p. 395.
(8) Spon. ibid.
(9) Capitol. in Maximino Jun.
(10) Idem ibid. cap. 17.
(11) Capitol. in Maximin. cap. 2.

cacioribus feminis. Nonnullæ etiam optaverunt de eo concipere. PROCERITATIS *videbatur illius eſſe, ut ad ſtaturam paternam perveniret. Siquidem* ANNO VICESIMO ET PRIMO *periit,* IN IPSO FLORE JUVENTUTIS (*ut aliqui autem dicunt* OCTAVODECIMO) teſte Capitolino. Eam vero egregiam (1) pulchritudinem demiratus Fabilius poëta Græcus, quo Maximinus uſus erat præceptore, multa conſcripſit carmina ſuper illius imagines, quæ paſſim pingebantur, vel excudebantur, ut in formoſiſſimis quibuſque uſuvenit. Idem Græce vertit, ac Maximino accommodavit Vergilianos illos verſus: (2)

Qualis ubi Oceani perfuſus lucifer unda
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſolvit;
Talis erat JUVENIS *primo ſub nomine clarus.*

Ac ipſe Capitolinus (3) alio loco ait: *Infamabant eum* OB NIMIAM PULCHRITUDINEM *&c. & maxime Senatores, qui* SPECIEM ILLAM *vel divinitus lapſam, incorruptam eſſe noluerunt.* Imperator vero Alexander ſcribens Mammeæ illum appellat (4) *adoleſcentem pulchrum, & ſcholaſticum* ad ſtudia litterarum, quibus operam dabat, reſpiciens. Ac pater ejus in quadam epiſtola rationem, cur eum Imperatoris appellatione donaverit, ſcribit (5): *Ut populus Romanus, & Senatus ille antiquus juraret, ſe nunquam* PULCHRIOREM *Imperatorem habuiſſe.* Et ut omnia uno verbo complectar, idem ſcriptor refert ex teſtimonio Ælii Sabini (6): TANTAM PULCHRITUDINEM ORIS *fuiſſe in filio, ut etiam caput ejus mortui jam nigrum, jam ſordens, jam maceratum, defluente tabo, velut umbra* PULCHERRIMA *videretur.* Quæ verba, ac ea ſuperius adlata examuſſim cum hac protoma quadrant.

GORDIANUS AFRICANUS SENIOR.

LXVII.

STirpem, ſtudia, virtuteſque hujus Imperatoris ex Julio Capitolino, qui ejus vitam ſcripſit, quiſque diſcere poteſt. Africæ proconſul erat, dum per vim ad Imperii dignitatem evectus fuit, ideoque Africani appellatione donatus, etſi nonnulli autument, hanc eum ſumpſiſſe a Scipione (7), ex quo ortum ducere ſe jactabat. Quum autem hæc acta ſunt, octoginta circiter annos natus erat, ut ait (8) Herodianus; quare in Capitolino legimus (9): *Gordianum* SENEM *virum graviſſimum, qui erat proconſul, Imperatorem fecerunt.* Ac poſtea (10) ſubdit: *Gordianum proconſulem virum, ut diximus,* VENERABILEM, NATU GRANDIOREM, *omni virtutum genere florentem &c. reclamantem, & ſe terræ affligentem, opertum purpura imperare coëgerunt.* Et Maximinus in concione ad milites dixerat (11): *Duos nobis Gordianos, quorum alter ita* SENIO FRACTUS EST, *ut non poſſit aſſurgere, alter ita luxurie perditus, ut debilitatem habeat pro ſenectute, Imperatores fecerunt.* Oris lineamenta retulit nobis ipſemet ſcriptor, quæ noſtræ huic protomæ reſpondent. En ejus (12) verba: *Erat quidem longitudine Romana, canitie decora, &* POMPALI VULTU, *ruber magis quam candidus,* FACIE BENE LATA, OCULIS, ORE, FRONTE *verendus;* quæ vultus notæ patent in hoc marmore. Dicit etiam ipſum (13) *corporis qualitate* SUBCRASSULUM fuiſſe. Addit quoque Mediobarbus, eum barbatum fuiſſe, quod minime ab hac Capitolina imagine alienum eſt. In Muſeo Mediceo proſtat hujus Imperatoris protoma, quæ non adeo ac noſtra ſimilis eſt imagini ejus in nummis cuſæ, quorum, ut docet Vaillantus (14), aurei nulli ſunt, & argentei, atque ærei admodum rari, verum quamplurimi adulterini, qui ſæpe rei nummariæ peritos in errorem induxerunt. Unum tamen refert Havercampus (15), ſingularem profecto, & unum Græcum, quamvis idem Vaillantus adfirmet, Græcos etiam nullos ferme exſtare. Adeundum pariter Muſeum Britannicum Tab. XX. n. 2. ubi nummus Latinus expreſſus eſt.

De

(1) Idem ibid. cap. 1.
(2) Virgil. Æn. libr. 8. v. 591.
(3) Capitol. in Maxim. Jun. cap. 2,
(4) Apud Capitol. ibid. cap. 3.
(5) Idem ibid.
(6) Idem ibid. cap. 6.
(7) Capitol. in Gordian. cap. 9.
(8) Herodian. libr. 7. cap. 10. & Capitol. ibid. cap. 8.
(9) Capitol. cap. 13. in Maximin.
(10) Idem ibid. cap. 14.
(11) Idem in Gord. cap. 14.
(12) Idem ibid. cap. 6.
(13) Idem ibid.
(14) Vaill. Numiſ. Imp. præſt. Tom. 1.
(15) Havercamp. Tab. XXXIII. Nummoph. Reg. Svecor.

De nummis maximi moduli, qui in ſignis militaribus figi ſolebant, loquutum eſſe Capitolinum arbitror (1) illis verbis: *In caſtris*, *Gordianorum & litteræ*, *&* VULTUS *ſunt propoſiti*. Denique multæ civitates ejus imagines penes ſe habere curarunt, & illi ſtatuas poſuerunt, ut ex (2) Herodiano colligitur; quare minime mirandum eſt, quamvis paucis diebus regnaverit, hanc ſupereſſe ejus imaginem, cui nihil opponi poteſt, præterquamquod non eam præferat ætatem, qua Gordianus ad Imperii apicem evectus eſt. At fortaſſe illi tribuenda erat, quam (3) Virgilius tradit Caronti: *cruda viridiſque ſenectus*. Etſi tot virtutibus præditus foret Gordianus, male tamen periit, laqueo (4) enim ſe ſuſpendit.

GORDIANUS AFRICANUS JUNIOR.

L X V I I I.

HIc ſuperioris Gordiani filius fuit, regnavitque pariter paucis diebus, uti pater. Eorum Imperium brevi deſcripſit Victorius alter his verbis (5): *Duo Gordiani pater*, *&* FILIUS *principatum arripientes*, *unus poſt unum interiere*. Formoſus erat, & moribus ſuavibus, ac litterarum ſtudiis deditus, ut ait Capitolinus (6): *In ſtudiis graviſſimæ opinionis fuit*, FORMA CONSPICUUS, *memoriæ ſingularis*, BONITATIS INSIGNIS, *adeout ſemper in ſcholis*, *ſi quis puerorum verberaretur*, *ille lacrymas non teneret*. Ejus corporis habitus prægrandis, pinguiſque fuit, quamobrem ſobrietati, & cibi parcitati maxime ſtuduit, ac eſculentis uſus eſt, quæ minime pinguedini conferrent. Hinc idem hiſtoricus, poſtquam dixit, illum fuiſſe (7) *cibi parcum*, *ita ut intra punctum temporis vel prandium*, *ſi pranderet*, *vel cœnam finiret*, (8) ſubdit: *Pomorum*, *& olerum avidiſſimus fuit*: *in reliquo ciborum genere* PARCISSIMUS. Cujus rei quaſi rationem redderet: *Erat*, inquit, CORPORIS VASTI; *quare magis ad frigida urgebatur*. Scilicet victu utebatur Pythagorico, cujus uſus antiquior erat, quam quod antiquiſſimum, nec hunc ulla unquam abolevit ætas omnino morem, ut ex libris Porphyrii patet, ſemperque nonnulli fuerunt, ſobriæ vitæ ſtudentes, qui proclamarent (9):

Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum.

Quod innuere libuit, ut tandem aliquando deſinant nonnulli hoc nobis tanquam recens commentum, & noviter excogitatum obtrudere. Vulcatius Terentianus ſui temporis hiſtoriam contexens, in horum Gordianorum effigiem animadvertit, priorem Auguſto ſimilem fuiſſe, juniorem Pompejo, quod ut vera fatear, nec ex nummis, nec ex eorum protomis admodum apparet. Quam Vulcatii ſententiam his verbis refert Capitolinus (10): *Dicit enim* (ſcilicet Vulcatius) *Gordianum ſeniorem* AUGUSTI VULTUM *ſic repræſentaſſe*, *ut & vocem*, *& morem* (vel ut legit Salmaſius) *& os*, *& ſtaturam ejuſdem oſtentare videretur*. FILIUM *vero* POMPEJO SIMILLIMUM *viſum*, *quamvis Pompejus obeſi corporis fuiſſe denegatur*. Mortuus eſt quadrageſimo ſexto ætatis anno, bello occumbens, ut narrat Herodianus (11) pluribus verbis. Hanc profecto ætatem præfert hæc ejus imago, quæ ſuper thoracem poſita eſt inſignem marmoris elegantia.

(1) Capitol. in Gord. cap. XI.
(2) Herod. libr. 7. cap. 13.
(3) Virg. Æn. libr. 6. v. 304.
(4) Capitol. in Maximo, & Balb. cap. 4.
(5) Aurel. Vict. Epitom. cap. 26.
(6) Capitol. in Gord. cap. 18.
(7) Idem ibid. cap. 19.
(8) Idem ibid. cap. 21.
(9) Prudent. Cathem. hymn. 3. v. 49.
(10) Capitol. ibid. cap. 21.
(11) Herod. libr. 7. cap. 23.

PUPIENUS. LXIX.

HOc Pupieni ſimulacrum omnino ſimile eſt alteri, quod in Muſeo Mediceo exſtat, quod ſi quid differt, in hoc tota differentia verſatur; quod Mediceum faciem, barbamque breviorem præfert. Ceterum Cajus Clodius Maximus Pupienus ex Senatus conſulto Imperator renunciatus cum Balbino, etiam cum ipſo a militibus interfectus eſt, *Romæ intra Palatium*, ut ait (1) Aurelius Victor, quum jam ad ſenium ætas ejus vergeret. Strenuus fuit, & militiæ laboribus obduratus, & qui bellicæ rei ſcientiam quammaxime calleret, ita ut quamvis humili loco natus ad ſupremæ dignitatis faſtigium ſit evectus. Apud Deſippum, & Arabianum, & Herodianum, alioſque hiſtoricos Maximi appellatione deſignatur, ſed a pluribus *Maximus in hiſtoria reticetur*, *& loco ejus* PUPIENI *nomen refertur*, ut ait (2) Capitolinus. Sed hæc in ejus nuncupatione varietas inter Græcos, Latinoſque ſcriptores potiſſimum intercedit, primi enim illum Maximum nominant, alteri vero Pupienum, quæ nominis differentia in aliis quoque Imperatoribus aliquando occurrit. Idem (3) Capitolinus multis eum laudibus celebrat, quod fuerit innocentia inſignis, *& meritis*, *& virtute*, *ac ſeveritate clarior*. Ac alibi: (4) *In re militari* (inquit) *tantus eſt*, *ut nobilitatem generis ſplendore virtutis allexerit*; ſubditque: (5) *Summæ temeritatis*, *ſed virtutis ampliſſimæ fuit*. Procedit præterea ad delineandam nobis ejus indolem, animumque, moreſque dicens: (6) *Cibi avidus*, *vini parciſſimus*, *ad rem veneream nimis rarus*, *domi foriſque ſeverus*, *ita ut & triſtis cognomen acciperet*. Ac ad oris lineamenta deſcendens addit: *Vultu graviſſimus*, *& verecundus*, *ſtatura procerus*, *corporis qualitate ſaniſſimus*; quæ omnia cum protomæ noſtræ capite omnino conveniunt. Una cum Balbino, & Gordiano Pio Imperium moderatus eſt, at Balbinus, & Pupienus anno non amplius uno regnarunt; quare raræ ſunt ejus imagines, eoque pluris facienda hæc noſtra. Multæ tamen fuiſſe videntur ex epiſtola quadam Conſulari, ubi ſic ſcriptum erat: (7) *Ubique terrarum jam* VULTUS *veſtros adorant*. Sed hi vel in nummis, vel in picturis eſſe poterant. Quod autem barbam aleret, ut in marmorea hac effigie apparet, ex (8) Herodiano conjicitur, qui poſtquam indignam ejus cædem enarravit, addit illi quoque fuiſſe barbam, & ſupercilia revulſa.

GORDIANUS PIUS. LXX.

DEſippus vetus hiſtoricus, & (9) alii quoque in eam iere ſententiam, ut crederent, hunc Gordianum, cognomine Pium, Gordiani junioris filium fuiſſe, ſed teſte Herodiano (10) Gordianus Pius filius fuit ſororis Gordiani junioris, quæ Junio Balbo nupſerat, at fortaſſe a Gordiano Seniore adoptatus. Quo factum ſit modo neſcio, ut præſtantiſſimus, & ἀκριβέστατος Senator (11) Bonarrothius dixerit, eum ex filia Gordiani junioris natum eſſe, quod utique toto cælo a vero abhorret. Undecim annos natus, vel tredecim, ut Herodiano (12) viſum eſt, vel ſexdecim, ut Capitolino (13), ad Imperium evectus fuit. Ex his poſtrema ſententia, quæ alioquin veroſimilior reputatur, cum hac noſtra protoma magis convenit, quæ etiam ab eis, qui nunc exſtant, nummis minime diſcrepat. In his enim imaginibus ſuboriri cernitur lanugo ſuper genarum extremitate, & in hoc marmoreo capite ſuper labrum ſuperius tenuja quædam barbæ veſtigia. Huc etiam conferunt, quæ de eo ſcribit Capitolinus his verbis (14): *Quare* ADOLESCENS *Gordianus priuſquam ad bellum proficiſceretur*, *duxit uxorem filiam Miſithei &c. poſt quod* NON PUERILE *jam*, *& contemptibile videbatur Imperium*. Sed quum ſex annos imperaſſet, ut ait idem Capitolinus, (15) fieri poteſt, ut hæc protome non in principio, ſed in fine illius Imperii excuſa fuerit. Nam in comperto eſt, eum admodum ado-

(1) Aur. Vict. de Cæſ. cap. 27.
(2) Capitol. in Maximo, & Balbino cap. 1. & 15.
(3) Idem ibid. cap. 2.
(4) Idem ibid. cap. 2.
(5) Idem ib. cap. 16.
(6) Idem ibid. cap. 6.
(7) Apud Capitol. ibid. cap. 17.
(8) Herod. libr. 8. cap. 21.
(9) Vide Capitol. in Max. & Balb. cap. 3. & in Gordian. cap. 22.
(10) Herod. libr. 8. cap. ult.
(11) Bonarr. Oſſerv. Medagl. p. 253.
(12) Herod. ibid.
(13) Capitol. in Gord. cap. 22.
(14) Idem ibid. cap. 23.
(15) Idem ib. cap. 31.

adoleſcentem e vivis exceſſiſſe, nam idem auctor, dum refert ejus apotheoſin, de Senatu, cujus decreto facta eſt, ait (1): *Gordianum* ADOLESCENTEM *inter Deos retulit*. Fuit ille quidem hilaris, feſtivus, nec non pulcher, ut patet ex hoc marmore, ſed animo pulchriore, ut ejus vitæ ſcriptor teſtatur dicens (2): *Fuit juvenis lætus*, PULCHER, *amabilis, gratus omnibus, in vita* JUCUNDUS, *in litteris nobilis, prorſus ut nihil præter ætatem deeſſet Imperio. Amatus eſt a populo, & Senatu, & militibus &c. ita ut nemo principum. Cordus dicit omnes milites eum filium appellaſſe, ab omni Senatu filium dictum, omnem populum delicias ſuas Gordianum dixiſſe*. Quare minime mirandum eſt, tam brevi tempore ingentem nummorum vim conflatam eſſe & a Senatu, & a Coloniis. Hoc unum dixiſſe ſat erit, in Muſeo Mediceo ſeptemdecim nummos maximi moduli hujus Auguſti exſtare, ac totidem in Bibliotheca Vaticana, qui a duobus Cll. Viris, & antiquarum rerum ſcientia præſtantiſſimis, notis illuſtrati fuere, nempe a Gorio, & Venuto. Multæ ejus imagines, ac ſtatuæ honoris cauſa illi poſitæ fuerunt, quæ Philippus, qui ei necem intulerat, non auſus eſt loco movere. Attamen Gordianorum protomæ quamrariſſimæ ſunt, ut Aldrovandus (3) unam tantum ſe vidiſſe commemoret. At Gordiani Pii multæ adhuc ſupererant imagines tempore Julii Capitolini (4), ut ipſe memoriæ prodidit, additque ex Vulcatii Terentiani teſtimonio, illum Scipioni Aſiatico ſimilem in oris lineamentis fuiſſe: *Nepotem autem* (Gordiani ſenioris) *cujus etiam* NUNC VIDEMUS IMAGINES, *Scipionis Aſiatici* FACIEM RETULISSE. Si certam hujus Scipionis effigiem haberemus, cum hac protoma conferri poſſet. Sed hoc nobis dixiſſe ſufficiat, ſit hoc marmor examuſſim reſpondere nummis ejuſdem, de quibus Senator (5) Bonarrothius ait: *In quanto all'effigie di queſti medaglioni Latini io l'ho per ſimiliſſima, eſſendo non ſolo di ſcultura eccellente, ma anche imitazioni, e tenerezze naturali, che eſprimono le fattezze veramente proprie d'un età d'undici, o tredici anni, ne' quali, ſecondo alcuni, fu fatto Imperadore; e quantunque nell'antico di rado ſi veggano ben inteſe le parti, e le teſte de' putti, queſte ſon fatte a maraviglia, e ſi vede, che ne poſſedevan perfettamente la cognizione, e ſapevano ben diſtinguere la pienezza, e tenerezza de' muſcoli, e quella lor forma particolare, quando ancora non ſono arrivati, nè creſciuti alla lor perfetta figura*. Quæ omnia ſcite, ac diligenter noſtrum artificem animadvertiſſe in hac ſculptura luculenter apparet.

PHILIPPUS JUNIOR. LXXI.

HIc ille eſt Auguſtus Philippi Imperatoris, & Otaciliæ filius, a patre Cæſar (6) renunciatus, ac conſors factus Imperii adhuc puerulus. Quæ ad eum, patremque pertinere videbantur, parum nobis comperta ſunt, quum Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores eorum vitas vel non ſcripſerint, vel ſi ſcripſerint, eæ temporis injuria perierint. Hoc amplius, quod eorum imperium non ultra quinquennium protractum fuerit, quamquam Paulus Oroſius (7) uſque ad ſeptennium ampliaverit. De hujus adoleſcentis effigie, & moribus nil aliud memoriæ conſignatum eſt, præter quod narrat Aurelius Victorius (8), cujus verba exſcribere non pigebit: *Romæ* (inquit) *occiditur agens vitæ annum duodecimum. Adeo ſeveri, & triſtis animi, ut jam tum a quinquenni ætate, nullo prorſus cujuſquam commento ad ridendum ſolvi potuerit: patremque ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit averſato*. Idcirco appellatus eſt ἀγέλαστος, ac ſi dicas *ſine riſu*. In hac protoma elucet ætas adhuc tenella, ſimulque indoles gravis, & ſimilitudo cum imagine in nummis excuſa, quorum magna ſupereſt copia ſive in argento, ſive in ære; verumtamen ex auro rariſſimi ſunt. Hoc caput effoſſum fuit prope Civitatem Laviniam ſecus viam Appiam, ubi creditum eſt, villam fuiſſe Antonini Pii; incluſumque erat in quadam ædicula, ubi a principio poſitum fuiſſe videbatur. Ex unico, ſolidoque fruſto albi marmoris & caput, & thorax conſtant. Nonnulli exiſtimarunt, Annium Verum M. Aurelii, & Fauſtinæ filium referre, at hic promiſſiores crines gerebat, ut ex nummis dignoſcitur. Sanctus (9) Hieronymus, necnon Paulus Oroſius (10) opinati ſunt, Philippum hunc, ejuſque patrem, & matrem mortuos eſſe, poſtquam ad Chriſtianam religionem tranſierant.

TRA-

(1) Idem ibid.
(2) Idem ibid.
(3) Aldrov. *Statue ant.* p. 254.
(4) Capitol. in Gord. cap. 21.
(5) Bonarr. *Oſſerv. Medagl.* p. 254.
(6) Aurel. Vict. de Cæſ. cap. 28.
(7) Oroſ. libr. 7. cap. 20.
(8) Aurel. Vict. Epitom. cap. 28.
(9) S. Hieronym. in Chronic.
(10) Paul. Oroſ. libr. 7. cap. 20.

TRAJANUS DECIUS. LXXII.

COgnominabatur hic Imperator Cn. Meſſius Quintus Trajanus Decius, de quo Aurelius Victor ſcribit: *Vir artibus cunctis, virtutibuſque inſtructus*, PLACIDUS, *&* *communis domi: in armis promptiſſimus*; verum reticuit, quam impius, & Chriſtianis infeſtus hoſtis fuerit. Sexaginta annos natus interfectus eſt, ut habetur in Chronico Alexandrino; quod huic protomæ omnino reſpondet. Secundum Lactantii teſtimonium: *Ne ſepultura quidem potuit honorari, ſed exutus, ac nudus, ut hoſtem Dei oportebat, pabulum feris, ac volucribus jacuit*. Quare valde mirandum eſt, quonam modo ad noſtra uſque tempora ejus imago, quamquam marmorea, ſuperfuerit, quare pluris facienda eſt, quum duobus tantum etiam annis imperium tenuerit, atque ante Imperium adeptum homo obſcuriſſimus, & nullius pretii foret.

Ejus imago convenit cum ejus nummis maximi moduli, qui exſtant in Muſeis Abbatis de Camps, Piſano, & Vaticano, & præcipue in Florentino, & hi poſtremi magis veram ejus referunt effigiem. Quamplurimi hujuſmodi nummi cum epigraphe FELICITAS AUGUSTI, ſeu VICTORIA AUGUSTI in averſa parte reperiuntur ubique.

QUINTUS HERENNIUS. LXXIII.

PLuribus donatur nominibus hic Trajani Decii, & Herenniæ Etruſcillæ filius in nummis, nempe Quintus Herennius Etruſcus Meſſius Decius appellatur. In iiſdem nummis decoratur Tribunitia poteſtate, & titulis Principis juventutis, Cæſaris, & Auguſti, atque in nonnullis, etſi (1) quamrariſſimis, Imperatoris. Ex his omnibus, & ex multis nummis, qui in ejus honorem conflati fuerunt, intelligi poteſt, illum apud univerſos plurimi factum fuiſſe, & amore proſequutum, ejuſque patrem magnopere ſtuduiſſe, ut illum omni honorum genere cumularet, quamobrem nil mirum eſt, ſi aliqua tandem ejus imago marmorea, ut hæc noſtri Muſei, reperiatur; etſi duos tantum annos regnaverit.

HOSTILIANUS. LXXIV.

C. Valens Hoſtilianus Meſſius Quintus, nam omnibus his nominibus nuncupabatur, ut patet ex nummo majoris moduli Abbatis de Camps, filius natu minor Trajani Decii, & Etruſcillæ, & frater Herennii fuit ſecundum Mediobarbum; at Vaillantus (2) autumat, illum fuiſſe filium adoptivum Decii, filium vero naturalem Hoſtiliani illius, qui a Senatu contra Philippum Imperator creatus fuit, de qua re videndus eſt Tillemontius in vita Decii. A patre Cæſar appellatus, & a Senatu Imperator factus fuit, quem honorem eodem tempore obtinuit etiam Gallus. Hujus Imperatoris numiſmata non omnino communia ſunt, præcipue cum hac Imperatoris appellatione, attamen quæcunque ſint, conferri poſſunt cum hac noſtra protoma, & inter ſe quammaxime convenire comperiemus. Videſis, quæ refert Begerus (3) inter nummos Imperiales.

TRE-

(1) Vaillant. Numm. præſt. Tom. 2.
(2) Idem ibid. Tom. 1. & Select. num. Abb. de Camps pag. 105.
(3) Beger. Theſ. Brand. contin. p. 735.

TREBONIANUS GALLUS. LXXV.

NOn ſculptoris artificio, quod rude admodum eſt, ſed quod ferme nullæ hujus Imperatoris reperiantur protomæ, hæc magni facienda eſt, quamvis multum ætatis damna tulerit, quam oportuit plus æquo ſarcire. Legimus appellatum fuiſſe C. Vibium Trebonianum Gallum, de quo nil aliud ſcribit Aurelius Victor, niſi ipſum ſimul cum Hoſtiliano Imperatorem renunciatum fuiſſe, & cum filio Cæſarem factum, atque inſuper addit, eum cum Voluſiano filio imperaſſe annos duos. Eutropius (1) in hiſtoria typis impreſſa videtur, unum eumdemque fuiſſe Gallum, & Hoſtilianum, reputaſſe. Sed hoc deſcriptorum ſphalma eſſe animadvertit magnus Caſaubonus (2); verbaque Eutropii: *Mox Imperatores creati ſunt Gallus Hoſtilianus*; ita emendavit: *Gallus*, *Hoſtilianuſque*. Nil addendum de illo ſupereſt, nobis enim deſunt ejus vitæ ſcriptores. Hujus protomæ vultus reſpondet nummis maximi moduli, qui exſtant in Muſeis Florentino, Piſano, & Vaticano, & cum nummis argenteis, æreiſque, qui paſſim inveniuntur. Nonnulla ſuboriri poteſt dubitatio de hujus imaginis νοθεία, quod longiores præferat capillos, quam ætate hujus Imperatoris mos eſſet geſtare.

VOLUSIANUS. LXXVI. ET LXXVII.

HIc filius fuit Treboniani Galli, ut dictum eſt, qui illum Cæſarem, & Imperii ſocium poſt mortem Hoſtiliani proclamavit, tum, quum ambo Imperatores appellati fuerunt in Miſia, ut contra Æmilianum a militibus Imperatorem factum ſtarent. De hujus Imperii ſocietate teſtimonium perhibent etiam nummi maximi moduli, alter Muſei Florentini (3), alter Piſani (4), alter tandem Bibliothecæ Vaticanæ (5), in quibus omnibus capita cuſa ſunt Galli, & Voluſiani ſeſe mutuo reſpicientia. Sed præcipua animadverſione dignus eſt nummus maximi pariter moduli, & elegantiæ, atque artificii perfectioris, quam ipſum Auguſteum ferret ſeculum, qui exſtat in Muſeo Carpineo, in quo hæc duo capita tam affabre ſculpta ſunt, ut nullo modo fieri poſſit, quin cum archetypis maximopere conveniant. Hæ duæ protomæ non eodem tempore cælatæ fuerunt, etenim ſecunda Voluſianum juniorem refert. In Medicea Gaza protoma quidem exſtat hujus Imperatoris, ſed quæ non examuſſim, ut hæc noſtra, nummis reſpondet. In Principis Pamphilii Villa Tuſculana ſtatua ſtat Voluſiani, ut habetur in ejuſdem villæ deſcriptione. Hic ſtrumis circa collum laboraſſe videtur ex hac noſtra imagine, quamvis auctores veteres nihil de hoc ejus morbo litteris tradiderint.

GALLIENUS. LXXVIII. ET LXXIX.

MArmoreum hoc caput n. LXXVIII. quod thorace caret, magis nummis reſpondet, quam quod in Medicea Gaza adſervatur, quod pariter thorace deſtitutum eſt, & quod ſimile potius dixerim capiti, quod hic num. LXXVIIII. exhibemus. Verum etiam in nummis nonnihil inter ſe differunt ejus imagines, culpa fortaſſe artificum, qui ea ætate rudes admodum erant, vel quod, quum regnaſſet quindecim annos, tam longo temporis ſpatio vultus lineamenta aliquantum immutaverit; quod ſæpiſſime unicuique uſuvenit, præſertim inter trigeſimumquintum, & quinquageſimum annum, quo annorum curriculo regnum abſolvit Gallienus, nece interemptus. Sed huic opinioni minime conſentit Senator Bonarrothius (6), ſummæ in his rebus auctoritatis vir, qui potius in eam ivit ſententiam, ut duos fuiſſe Gallienos putaret, aut Valerianum ejus fratrem idem Gallieni nomen ſumpſiſſe. Si attente inſpicias nummos maximi moduli, qui exſtant

(1) Eutrop. Hiſt. libr. 9. cap. 5.
(2) Caſaub. De iis, qui poſt Gordd. Principes fuerunt.
(3) Muſ. Florent. Tab. 81. Tom. 4.
(4) Muſ. Piſan. Tab. 63.
(5) Venuti Antiq. Num. Tab. 80.
(6) Bonarroth. *Oſſerv. Medagl.* p. 319.

in Muſeo Mediceo (1), hanc lineamentorum diverſitatem in ejus effigie comperies. Hic in omni vitiorum genere etiam turpiorum, & ſordidiſſimorum demerſus, negocia etiam graviora, maximique facienda fabulam faciebat, ac de ineptiſſimis tantum rebus agebat, inſtituebatque ſermonem. Trebellius Pollio (2), qui ejus vitam conſcripſit, nimius eſt in abominandis ejus moribus narrandis; nec aliud de eo laudandum refert, niſi hæc pauca: *Fuit Gallienus, quod negari non poteſt, oratione, poëmate, atque omnibus artibus clarus.* Sed tandem orationem concludit, quod hic Imperator: (3) *Natus abdomini, & voluptatibus, dies, ac noctes vino, ac ſtupris perdidit Orbem terrarum.* Attamen non eſt, quod miremur, ſi nonnullæ ejus ſuperſunt protomæ, quum fuerit adeo inanis gloriæ cupidus, ut ſtatuam ſibi ponendam curaverit duplo majorem ceteris coloſſeis ſimulacris (4): *Statuam ſibi* MAJOREM COLOSSO *fieri præcepit*, (ut ait idem Pollio) *Solis habitu, ſed ea imperfecta periit. Tam magna denique cœperat fieri, ut* DUPLEX AD COLOSSUM *videretur*. Hinc Patinus (5) illi nummum tribuit, in quo caput cernebatur Genii Populi Romani, quod huic Imperatoris imagini non eſt abſimile, & radiis ornatum eſt, ut Solis imaginem ſolebant Antiquiores excudere.

SALONINA. LXXX.

HÆc uxor fuit Gallieni, eaque in Græcis nummis Χρυσογόνη appellatur, quo nomine eam appellatam fuiſſe Triſtanus autumat, antequam Gallieno nuberet. In aliis itidem Græcis nummis (6) Cornelia nominatur; nonnulli vero Pipam, aut Piparam dictam credunt, illam cum quadam Gallieni pellice confundentes, cujus mentionem facit (7) Pollio, etſi ex eo Pollionis loco parum lucis eruere poſſumus, quum mendis non careat. Sed Aurelius Victor (8) eas diverſas facit, & itidem in Epitome (ni alius Victor ſit Epitomes auctor) eamdem diſtinctionem inducit. Ingenii acumine, & multa eruditione eamdem rem oſtendit (9) Abbas Rudolphinus Venutus; monſtrat enim in comperto eſſe, avum Salonini Gallienum nuncupatum fuiſſe: hic autem nullo modo pater eſſe poterat patris ſui, ut Venutus ait, nam ille appellabatur P. Licinius Valerianus, quamobrem, idem infert, pater erit hujus Saloninæ Salonini matris, quem ille conjicit vocari potuiſſe D. Julium Gallienum. Igitur Salonina ex Romana familia ortum duxerat, nec erat barbara, ut (10) Pollio ait fuiſſe Piparam, filiam Attali Regis Germanorum, ſecundum unius ex Victoribus ſententiam, at ſecundum alterius (11) opinionem, Regis Marcomannorum. Si cui a veritate alienum videbitur, tam in familia patris, quam in familia matris Salonini idem reperiri nomen Gallieni, in ſuſpicionem cadere poſſet, Valerianum Gallieni fratrem hoc ſibi etiam nomen adſciviſſe, ut ſuperius diximus, ſuſpicatum eſſe (12) Senatorem Bonarrothium. Attamen multum me movet, in tot nummis Valeriani, qui ſane communes ſunt (13), numquam Valerianum Gallieni nomine donatum fuiſſe. Hujus protomæ vultus omnino reſpondet nummis maximi moduli, qui exſtant in Muſeis Mediceo (14), & Vaticano (15). Coma capiti ſuperaddita eſt, quamvis marmorea, & quæ ſubduci, atque adduci poteſt, ut videre eſt etiam in protoma Juliæ Piæ hujus itidem noſtri Muſei, quod dum Tabulam LVII. enarrabamus, animadvertere omiſimus. Hæ tamen comæ aſcititiæ his capitibus nunc firmiter hærent, nam in iis ſubducendis aures deterebantur. Eo autem modo comas cælabant ſculptores, quia ea ætate aſcititiæ comæ in uſu erant. Quod ſi aliis quoque temporibus mulieres, & quandoque etiam viri hujuſmodi galericulis utebantur, nec tamen artifices ita illos excudebant, hoc fortaſſe factum, quod egregii illi ſcalptores in his tricis minime immorari conſentaneum ducebant, ne tædio affecti nonnihil perfectionis in opere abſolvendo remitterent. De hoc galericulo multa afferri poſſent, præter ea, quæ alibi dicta ſunt, ſed ſatis eſt, ut multa, quæ in hanc

(1) Muſ. Florent. Tab. LXXX. LXXXIII. & LXXXV.
(2) Trebell. Poll. in Gall. cap. XI.
(3) Idem ibid. cap. 16.
(4) Idem ib. cap. 18.
(5) Patin. Imper. num. p. 326.
(6) Haym. Theſ. Britann. Tom. 2. Tab. 25.
(7) Poll. in Salon. cap. ult.
(8) Aurell. Victores de Cæſar. cap. 33. & Epitom. cap. 33.
(9) Venut. Num. max. mod. Tab. LXXXVI.
(10) Treb. Poll. in Salon. cap. 3.
(11) Aurell. Victores ibid.
(12) Bonarr. *Oſſerv. Medagl.* pag. 337.
(13) V. Bandur. Num. Imper. Tom. 1. p. 234.
(14) Muſ. Florent. Tab. LXXXV. & LXXXVI.
(15) Venut. Num. max. mod. Tab. LXXXVI. & LXXXVII.

hanc rem congerit Pitiſcus (1), &, quos ipſe accuratiſſime citat, ſcriptores, percurrantur. Ceterum hæc mulier venuſto ore prædita fuerat, quamobrem jure eam (2) Vaillantus appellavit formoſiſſimam feminam.

SALONINUS. LXXXI.

HIc Gallieni, & Saloninæ filius major natu a patre Cæſar factus eſt, ut refert Tillemontius (3), & Vaillantus (4), auctoritate, ut puto, Aurelii (5) Victoris freti. Verum (6) Bandurius, neſcio qua ratione adductus, ab avo hac dignitate illum decoratum ait. In nummis appellatur P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus. Paucis Pollio totam ejus vitam narrat dicens: (7) *Saloninus hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani, de quo nihil eſt, quod dignum in litteras mittatur, niſi quod nobiliter natus, educatus regie, occiſus deinde non ſua, ſed patris cauſa*. Adoleſcentulus adhuc erat, quum interfectus fuit, ut ex nummis etiam, & ex hac protoma apparet. Attamen quum ingenti amore omnes illum proſequerentur, non ſolum multæ illius imagines, ſed etiam ſimulacra conſtituta fuerunt. In Muſeo Carpineo (8) nummus maximi moduli ſervabatur, ſed poſtea (ut, heu ſæpe nimis! his cimeliis accidit) periit (9).

MARCUS AURELIUS CARINUS. LXXXII.

NOn ſolum ex oris lineamentis, quæ cum nummis collata, hanc eſſe M. Aurelii Carini effigiem eſſe demonſtrant, ſed etiam ex ſiglis MACAR, quæ ſub hac protoma antiquitus, ut apparet, excuſæ ſunt, dignoſcitur. Hic filius fuit Cari, & frater natu major Numeriani, ſed hoc prior appellatus Cæſar (10), & una cum illis regnavit, ac ipſis ſuperſtes, tandem a Diocletiano extinctus fuit, ut ab Oroſio (11) accepimus. Sceleſtiſſimus fuit, & fœdiſſimis obrutus vitiis, ut pater ejus de adimenda illi dignitate cogitaverit, immo de illo e medio tollendo. Hoc manifeſtum omnibus fiet, qui initium ejus vitæ, a Vopiſco conſcriptæ, legerint, quod hujuſmodi eſt (12): *Carinus homo omnium contaminatiſſimus, adulter, frequens corruptor juventutis &c. ipſe quoque male uſus genio ſexus ſui*. Rari admodum ſunt ejus nummi majoris moduli, duo tamen exſtant in Muſeo (13) Carpineo, duo in Piſano (14), unus in Florentino (15), tres vero in Vaticano (16), qui omnes ſimiles ſunt huic noſtræ protomæ, quæ marmore albo exciſa eſt, quod temporis lapſu pulchrum admodum contraxit colorem. Hic ipſe Auguſtus formoſum ſe ſe reputabat; nam Suidas (17) narrat illum, quod nonnullos interimi juſſiſſet, eam adduxiſſe rationem, quod ejus pulchritudinem debitis laudibus non extuliſſent. Hæc autem in ejus imagine minime elucet; at fortaſſe hoc juventutis donum fuerat, quod ſubrepentibus annis evanuit.

(1) Pitiſc. Lex. antiq. in v. Galericulum.
(2) Vaill. Num. præſt. Tom. 1.
(3) Tillem. in Gallien. art. 9.
(4) Vaill. Num. præſt. Tom. 1.
(5) Aurelii Vict. de Cæſ. cap. 33. & Epitom. cap. 33.
(6) Bandur. Num. Imp. p. 256.
(7) Poll. in Salon. cap. 1.
(8) Tab. XXII. n. 3.
(9) Bonarr. *Oſſerv. Medagl.* p. 334.
(10) Vopiſc. in Caro cap. 10.
(11) Paul. Oroſ. libr. 7. cap. 24. & 25.
(12) Vopiſc. ibid. cap. 7.
(13) Bonarr. *Oſſ. Medagl.* Tab. XXVIII.
(14) Tab. LXXV.
(15) Tab. XCI.
(16) Tab. XCVI.
(17) Suidas in Excerpt.

JULIANUS APOSTATA. LXXXIII.

FLavius Claudius Julianus, a Græcis παραβάτης, ſeu apoſtata, Latine tranſgreſſor, (1) ſeu defector dictus, Conſtantinopoli natus eſt, Conſtantii, Conſtantini Magni fratris filius, in Chriſtiana Religione educatus, a qua poſtea impie deſcivit, atque publice idola profano ritu adoravit. Magni ingenii vir ſane fuit, magnoſque in litteris profectus fecit, & in re militari quammaxime peritus fuit: formoſus corpore, quamvis parvus & gracilis, ſed aſpectu majeſtatis pleno. Quum (2) philoſophicam vitæ rationem præſeferre ſtuduiſſet, longam aluit barbam, qualis in hac noſtra protoma conſpicitur, quæ etſi minor ſit ceteris protomis, attamen rara eſt, ac plurimi facienda, tum quod ſeptemdecim tantum menſibus imperaverit, tum quod illum tanto odio proſequutus fuerit S. P. Q. R. ut omnes ejus memoriæ deletæ ſint. Ejus autem barbam Antiochenſes ludibrio habuiſſe, ſcimus. De eadem (3) Mamertinus ſcribit, populos Julianum demiratos fuiſſe e bello Germanico revertentem: *Sine ſenſu laſſitudinis crebriores ſudorum rivos per fortia colla manantes, & inter illum pulveris, qui* BARBAM ET CAPILLUM *onerarat, horrorem micantia ſidereis ignibus lumina.* Hæc omnia his verbis confirmat Aurelius Victor (4): *Fuerat in eo litterarum, ac negotiorum ingens ſcientia. Æquaverat philoſophos, & Græcorum ſapientiſſimos: uſu promptior corporis, quam validior quidem, ſed* BREVIS *fuit. Hæc minuebat quarumdam rerum neglectus modus: cupido laudis immodica: cultus numinum ſuperſtitioſus.* Quantumvis breve fuerit ejus Imperium, illi tamen plurimæ poſitæ fuerunt ſtatuæ, gloriæ cupidiſſimo, quamobrem pone illas alicujus numinis ſimulacrum collocandum curabat, ſi forte Chriſtiani, dum ejus imagini civilem cultum reddebant, in idololatriam incauti offenderent, ut ex Gregorii (5) Nazianzeni verbis eruitur, cujus longam hic afferre poſſem narrationem illius geſtorum, necnon quomodo oculis nictaret, nutaretque capite, qua rideret, loquereturque ratione: ſed illam omittimus, quia declamationi ſimilior videtur, & quia ſufficit illa, quam ἀκριβῶς his verbis concinnavit Ammianus (6) Marcellinus. *Figura*, inquit, *talis utique membrorum. Mediocris erat ſtaturæ*, CAPILLIS TAMQUAM PEXISSET, MOLLIBUS: HIRSUTA BARBA IN ACUTUM DESINENTE *veſtitus: venuſtate oculorum flagrans, qui mentis ejus anguſtias indicabant:* SUPERCILIIS DECORIS, ET NASO RECTISSIMO, ORE PAULLO MAIORE, LABRO INFERIORE DEMISSO; *opima, & incurva cervice: humeris vaſtis, & latis, ab ipſo capite uſque unguium ſummitates lineamentorum recta compage, unde viribus valebat, & curſu.* Ex qua delineatione, vel potius viva pictura, quamvis nummorum teſtimonio carerem, ſatis manifeſte conſtaret, hanc eſſe Juliani imaginem, quam noſtro Muſeo donavit Marchio Joh. Petrus Lucattellius perpetuus ejuſdem Muſei Cuſtos, vir ſumma humanitate præditus, atque plurima eruditione ornatus. De quadam Juliani ænea ſtatua narrat Sozomenus (7), eam fulmine tactam, ac confractam, capiteque diminutam in ejus ultionem impietatis, qua ſacrilego auſu ſuum collocarat ibi ſimulacrum, Chriſti Domini ſtatua deturbata, ubi illam poſuerat mulier hemorrhoiſſa in grati animi ſignificationem, quod eam Jeſus a morbo curaſſet. Mortuus eſt Julianus annos natus 32. ſcilicet admodum juvenis, ſed in hoc marmore, & in nummis ætate provectior apparet ob ingentem illius barbam.

IN-

(1) Zozim. Hiſtor. libr. 48.
(2) Suidas in Excerpt p. 878.
(3) Mamert. in Paneg. Julian. cap. 6.
(4) Aurel. Vict. Epit. cap. 43.
(5) S. Gregor. Nazianz. Orat. 1. n. 76. & Orat. 2. n. 37. contra Julian. & Orat. 4.
(6) Ammian. Marcell. Hiſtor. libr. 25. cap. 4.
(7) Sozomen. Hiſtor. Eccleſ. libr. 5. cap. 21.

INDEX RERUM NOTABILIUM

In hoc ſecundo tomo contentarum.

A

ABercius Epiſcopus, ejuſque Acta. pag. 36.
Achilles quod ad naſum ſimilis Auguſto. 7.
Ægeates, & nummus ad eos ſpectans. 42.
Ægyptiorum ſuperſtitio in tondendis crinibus. 37.
Ælius Cæſar, ejuſque nomina. 31. ab Hadriano adoptatus. 31. valetudinarius. 31. formoſus. 31. ideo fortaſſe Hadriano gratus. 31. ejus protoma ſummo artificio excuſa. 31.
Æs aliquando marmor ſignificat. 5.
Agatocles calvus. 7.
Agrippa Marcus, ejuſque imago, dignitates, & virtutes. 8. 9. a Dione laudatur. 8. 9. & a Plinio. 9. honoribus cumulatus. 8. 9. Auguſto carus. ibid. ejus in rempublicam beneficia. 8. 9. ejus ſtatua. 9. ejus protoma ubi reperta fuerit. 9. a Seneca, & Paterculo laudatus. 9. humili loco natus, & tamen trium Imperatorum conſanguineus. 9. ejus nummi. 9. maximi moduli rariſſimi. 9. unus tamen exiſtit in bibliotheca Vaticana. 9. ſupercilio ſeverus. 9. ejus balnea. 9. fontes. 9. Aquam Virginem deducit Romam. 9. Auguſtum hortatur, ut Imperio nuncium remittat. 9.
Agrippina Claudii uxor. 16. ſcelesta, & libidinoſa. 16. Neronis mater, & ſoror Caligulæ. 16. pulchra. 16. infamibus artibus Neronis amorem captare ſtudet. 16. Auguſta appellatur. 16.
Agrippina Germanici, ejuſque protoma. 13. M. Agrippæ filia. 13. ejus nummi maximi moduli rariſſimi. 13. ejus epitaphium. 13. ejus indoles. 13.
Albanus Cardinalis Alexander cimeliorum amans. 41.
Albini laudes. 40. cur ejus imago marmore ſculpta. 49. Albinus rebellantes exercitus compeſcuit. 40. qua de cauſa, & quo tempore forte illi ſtatuæ poſitæ. 40. a Senatu amatus. 40. Cæſar a Severo appellatus. 40. Græce, & Latine eruditus. 40.
Aldrovandus Ulyſſes notatus, qui duas inducit Poppeas. 20. forte in protomis Getæ dignoſcendis allucinatur. 43.
Alexander Magnus a certis artificibus voluit efformari. 4. ſimilis facie Germanico. 12. ejus & Caracalli imagines comparatæ. 43. capillos a fronte reiciebat. 4. puſillus erat ſtatura. 43.
Alexandri Severi imago. 4.
Animalium effigies ad vivum expreſſæ. 3.
Annia Fauſtina Helagabali uxor. 46. & Pomponii Baſſi. 46. M. Aurelii neptis. 46. mulier pulcherrima. 46. Helagabalus Baſſum, ut illam raperet, interfici juſſit. 46. ejus nummi, inter quos unus ſingularis. 46.
Annii Veri hiſtoria. 34. ejus ſimulacra. 35. de ejus nomine quæſtiones. 34. ejus nummi. 35. protoma ubi reperta. 35.
Antinous pulcherrimus. 29. ab Hadriano amatus. 29. ejus ſtatuæ ac protomæ. 29. nummi. 29.
Antiquarii a calumniis vindicantur. 2. 3.
Antonia minor M. Antonii Triumviri filia. 11. ejus imago. 11. Octaviæ Auguſti ſororis filia. 11. Druſi uxor. 11. ejus virtutes. 11. cur Minor dicta. 11. ejus filii. 11. veneno deceſſit. 11. laudatur. 11. pulcherrima. 11. capillorum ejus concinnatio. 12. pro ſorore aſſumitur a nonnullis hiſtoricis. 11. lauro coronata. 12. aliæ ejus imagines. 12. nummi maximi moduli cum illius effigie. 12. Germanici mater. 12.
Antonio Muſæ Marcelli mors adſcripta. 8.
Antoninus. V. Marcus Antoninus.
Antoninus Caracalla. V. Caracallus.
Apollonius Tyanæus apparuit Aureliano. 4.
Aqua virgo Romam deducta. 9.
Arati ſtatuæ. 3.
Ariſtonides egregius artifex. 5.
Artifices antiqui eruditi, ac excellentes. 5. imagines ſimillimæ prototypis excudebant, ac pingebant. 3. 4. & ſeqq. mores etiam exprimebant. 5. cur excellentes. 5.
Aſinius Pollio primus imagines virorum illuſtrium in bibliothecis collocavit. 2.
Atria Romanorum imaginibus ornata. 2.
Auguſtus formoſus, & vultu lenis. 7. barbam radebat. 7. capillos tondebat. 7. ejus ſtatuæ. 7. qualis ejus facies. 7. an Gordiano juniori ſimilis. 49. ſceptrum ex ejus ſtatuæ manibus excuſſum. 7.
Aurelianus Apollonii ſpectrum ex ejus imagine agnovit. 4.
Aurelius Victor notatus. 42. ejus hiſtoria qua ratione elucubrata. 42. unus an duo fuerint. 44. emendatus. 26.
Aures mediocres probitatem ſignant. 7. perforatæ ſignum ignobilitatis. 44.

B

BAlbus Aricinus. 1.
Bandurius Anſelmus notatus.
Barba uſus inter Imperatores primus Hadrianus. 29.
Baronius Cardinalis laudatus. 36.
Baſaltes marmoris genus duriſſimum. 14.
Bellorius Petrus, atque ejus de Commodi nummo diſſertatio. 35.
BENEDICTI XIIII. Muſeum Capitolinum locupletandi ſtudium. 9. 41.
Beroaldus notatus. 10.
Bibliotheca Mediceo-Laurentiana. 23.
Bibliotheca Vaticana, ejuſque nummi maximi moduli. V. Vaticana bibliotheca.
Bibutades Sycionius primus imaginem ad vivum expreſſit. 1.
Bonarrothius Senator laudatus. 32. 37. 44. 45. notatus. 50. 53.
Brutorum effigies. 4.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

C

CÆſar. V. *Julius Cæſar*.
Calamiſtrum ferrum eſt, quo crines criſpantur. 38.
Calcotondylas non Calcondylas dicendus. 45.
Calderinus Domitius notatus. 2. 24.
Caligula ſceleſtiſſimus. 13. talis apparet ex oris lineamentis. 13. ſtatura ejus, corporiſque habitus. 13. galericulo utebatur. 13. elegantiſſimæ illius protomæ, 13. & 14. non ſupercilio ſeverus ut Agrippa, ſed trux. 14. cur ex baſalte ejus imago. 14. in principio Imperii egregiam indolem prætulit. 14. ſtatuæ Jovis ſuum caput impoſuit. 14.
Calvities probro habita. 7. 10. 24. a Cæſare occulitur. 6. ab Agatocle, 7. a Tiberio. 10. S. Pauli, & Eliſei. 7. Tiberii, 10. Caligulæ. 13. Galbæ. 18. 19. Domitiani. 23. & 24.
Capillos a fronte reiciebat Alexander Magnus. 4. quomodo criſpentur. 37. Caligulæ ementiti. 13. 14. & Othonis. 19. quomodo eos concinnaret Plotina. 27. ac aliæ Auguſtæ. 28. in nonnullis protomis a capite disjuncti. 54. in protoma Commodi eleganter excuſi. 36. nigri, & ſuperadditi in protoma Lucillæ. 36. capilli Marcianæ, & Matidiæ calamiſtro plicati. 28. Neronis in ſcalarum modum. 16. ferro criſpati. 38. capilli Albini renodes. 40.
Capilupii Lælii Cento de marmoreo Homeri capite effoſſo. 2.
Caput radebant Ægyptii ſacris initiati. 37.
Caracallus cur ſic vocatus. 42. ejus nomina. 42. mores. 42. protomæ inter ſe ſimiles in capitis poſitura. 42. ejus nummi. 42. fratrem interficit. ibid. galericulo utitur. 43. ejus ſtatua habitu ſacerdotali induta. 43. ejus imago ridicule picta. 43. ſtatura brevi. 43. an Alexandro Magno ſimilis, & Helagabalo. 43. natura truculentus. 42. egreſſus pueritiam vultum mutavit. 42. patrem occidere tentat. 43.
Carinus Cari filius, Numeriani frater. 55. cum ipſis regnavit. 55. a Diocletiano victus. 55. moribus peſſimis. 55. ejus nummi, & protomæ. 55. pulchro aſpectu. 55.
Carpenſis Cardinalis laudatur. 23.
Caſaubonus notatus. 10.
Caſſii Avidii defectio. 33.
Caſſii interfectoris Cæſaris effigies. 4.
Cereris habitu nonnullæ Auguſtæ. 32.
Cicero ominatur Cæſarem everſurum Rempublicam. 6.
Cincinnuli intorti. 28.
Cirri quid ſignificent. 28.
Claudius Imperator cunctatur in ponendis Druſo ſtatuis. 11. Claudii imago. 14. ejus ſtupiditas. 14. capite nutabat. 14. 15. corporis habitus. 14. qua ætate interfectus veneno. 15. Druſi filius, Liviæ nepos. 15.
Clodius Albinus. V. Albinus.
Color candidus Cæſaris quid ſignificet. 6. Tiberii. 10.
Commodus; de ejus nummo diſſertatio. 35. ejus egregia protoma. 36. cur comam poſuerit. 36. peſſimi ejus mores. 36. ſtatuis dejectis. 37. numiſmata. 37. Herculis exuviis indutus. 37. ejus uxor. 37. ſacris Ægyptiorum initiatus. ib.
Criſpina Commodi uxor. 37. Cereris cultu honorata. ibid. in exilium ejecta. 37. Bruti Præſentis filia. 37. cur occiſa. 37. ejus nummi maximi moduli. 37. ex omni modulo rari. 37.
Cybelis inſignibus ornata Fauſtinæ effigies. 32.

D

DEcii Trajani varia nomina. 52. laudes. 52. ætas, qua occiſus. 52. Imperium breve. 52. nummi & protomæ. 52. Chriſtianis infenſus. 52.
Diadumeniani vita brevis. 45. ejus ætas qua ratione a ſculptore expreſſa. 45. oris lineamenta. 45. protomæ magni faciendæ. 45. nummi. 45. ab Hiſtoricis Latinis appellatus Diadumenus. 45. pulcher aſpectu. 45. occiſus. 45.
Dianæ Luciferæ habitu Fauſtina expreſſa. 34.
Dibutades Sicionius primus e creta imagines duxit. 1.
Didia Clara Didi Juliani filia pulcherrima. 39.
Dio hiſtoricus Aponiani filius, Pertinacis familiaris. 38.
Diognetus artem pingendi Marcum Antoninum docuit. 33.
Dioſcorides imaginem cælavit Auguſti in gemma ſignatoria. 7.
Domitiæ protoma rara. 24. Domitia Corbulonis filia. 24. uxor Ælii Lamiæ. 24. Domitiano nupſit. 24. nobilis. 24. filium Domitiano peperit. 24. eam abortum facere cogit Domitianus. 24. Auguſta appellata. 25. Paridem hiſtrionem amavit. 25. ejus nummi. 25. eam repudiavit, & poſtea reduxit Domitianus. 25.
Domitianus Domitiam amavit. 23. Julia Titi filia in uxorem illi oblata. 23. eam abortire juſſit. 23. ejus peſſimi mores. 23. calvus. 23. 24. modeſtus vultu. 23.
Druſi imago. 11. ejus nomina. 11. Tiberii frater. 11. Germaniam domuit. 11. juvenili ætate mortuus. 11. ejus laudes. 11. nummi. 11. ſtatuæ. ibid. imago in ſignis militaribus. 11.

E

ELiſeus ludibrio habitus ob calvitiem. 7.
Endimion a Luna amatus.

F

FAbilius poëta Græcus Maximi præceptor. 48.
Falconerius Paulus laudatus. 25.
Fauſtina Major Antonini Pii uxor. 32. Annia Galeria nuncupatur. 32. ejus filii, pater, & frater. 32. impudica. 32. quibus honoribus poſt mortem affecta. 32. ut Diana, Cybeles, & Cereres veneratur. 32. ejus nummi. 32. protomæ. 32.
Fauſtina Minor M. Aurelii uxor. 33. ejus hiſtoria. 33. impudica. 33. honore afficitur. 34. ejus imago. 34. pro Diana, & Venere colitur. 34. bene comata, & exſucca. 34. ejus protome pulcherrima. 34. effoſſa ubi. 34.
Flaminii imago. 4.
Froëlichius laudatus. 45.
Funus imaginarium quid ſignificet. 38. in funere imagines. 38. lecti. 8. funus Syllæ. 8.

Gal-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

G

GAlba, ejuſque oris lineamenta. 18. naſus aquilinus. 18. 19. Imperium illi portenditur. 18. calvus. 18. 19. fœda luxuria infamis. 19. ejus protomæ raræ. 18. ſtatua illi decreta, ſed decretum abrogatum, 18. 19. ejus ſtatua aurea. 19. imagines in ſignis militaribus dejectæ. 19. dein honoratæ. 19. quid ſuis ſtatuis ſubſcriberet. 19.

Galericulum Othonis. 19. Caracalli. 43. Juliæ Piæ. 54. Saloninæ. 54. in protomis marmoreis aliquando aſcititium, & cur. ibid. cur non ſemper eo modo artifices comam cælarent. ibid. qui de eo ſcripſerint. 55. nunc quoque in uſu. 19. Lucillæ. 36.

Gallienus; ejus imago, & nummi. 53. quantum regnaverit. 53. qua ætate peremptus. 53. imagines variæ. 53. 54. an duo Gallieni. 53. ejus mali mores. 54. negocia in jocum vertebat. 54. in quo laudandus. 54. ejus ſtatua coloſſea. 54.

Gamuccius Bernardus citatus. 32.

Germanicus laudatus. 12. Druſi, & Antoniæ junioris filius. 12. a Tiberio adoptatus. 12. ejus corporis habitus. 12. Imperium recuſavit. 12. Orator, & poëta. 12. cum Alexandro Magno conlatus. 12. formoſus. 12. ejus nummi. 12. virtutes. 12.

Geta, ejuſque protomæ raræ. 43. oris lineamenta. 43. mores. 43. amatus. 43. Cæſar renunciatus. 43. ejus nummi. 43. ſtatuæ. 44. Caracalli frater. 43. ab eo occiſus. 42. inter divos relatus. 44.

Gordianus junior, ejuſque pater. 49. ejus mores, & oris lineamenta Pompeo ſimilia. 49. ejus ætas, & mors. 49. parcus in victu. 49.

Gordianus Pius, ejuſque origo. 50. ætas. 50. nummi. 50. mores. 51. ſtatuæ. 51. protomæ. 50. 51. Scipionem Aſiaticum vultu refert. 51.

Gordianus Senior cur Africanus dictus. 48. ejus ætas. 48. vultus. 48. nummi, & ſtatuæ. 48. ejus mors. 49. Auguſto ore ſimilis. 49.

Gorius laudatus. 12. 32. 33. 44. 45. 51.

Græci artifices egregii, & qua ratione. 5.

H

HAdriani plurimæ protomæ. 29. ſtatuæ 29. beneficia innumera. 29. artifices ea ætate excellentes. 29. 47. Hadrianus ipſe egregius pictor & fictor. 29. amat Antinoum. 29.

Heliogabalus cur ita appellatus. 46. ejus nomina. 46. ejus mores turpiſſimi. 46. in juventa occiſus. 46. pulcherrimus. 46. quantum regnaverit. 46. Caracallo ſimilis. 46. ejus uxores. 46.

Herennia Etruſcilla mater Q. Herennii. 52.

Herennius V. Quintus Herennius.

Hieroſolymis ſtatua Caligulæ in templo expoſita. 14.

ex Homeri carminibus Jovis effigies eruitur. 2. caput Romæ effoſſum. 2.

Hoſtiliani varia nomina 52. origo. 52. Cæſar Hoſtilianus appellatus. 52. peſte peremtus. 52. ejus nummi. 52.

I

IMagines Deorum, & Imperatorum in ſignis militaribus. 19. cur primum factæ. 1. 2. uſus earum antiquiſſimus. 1. inventor. 1. innumeræ erant Romæ. 1. nobiles majorum imagines in atriis habebant, & quomodo diſpoſitas. 2. virorum illuſtrium. 2. auctorum in principio operis. 2. in bibliothecis collocabantur. 2. qui de hac re diſſeruerint. 2. imaginum uſus. 23. 38. ex ſcriptis erutæ. 2. antiquorum imagines archetypis ſimiles. 3. animalium. 3. mores indicabant. 3. 5. quis invenerit eas gypſo ducere e vultu defunctorum. 4. imagines Deorum. 4. SS. Petri, & Pauli. 4. imagines voluptate afficiunt eas intuentes. 2. cereæ in funeribus. 38.

Jocaſtæ ſtatua. 5.

S. Johannes Evangeliſta ab exilio revocatus. 26.

Jovis Olympici templum. 29.

Julia Auguſta, Domna, & Mammea pro Cerere cultæ. 30.

Julia Pia uxor Septimii Severi. 41. ejus nummi. 41. 42. nummus maximi moduli cum Venere Victrice. 42. fuerit ne Caracalli mater, an matertera. 42. an eam Carcallus amaverit. 42. cum Cleopatra confertur. 42. ejus protomæ coma marmorea adſcititia ſculpta. 54.

Julia Titi filia, ejuſque imago. 23. Domitiano in uxorem oblata. 23. eam ad abortum coëgit. 23. Sabino nupta. 23. a Domitiano vitiata. 23. ejus protome ubi inventa. 23. peculiaris comæ concinnatio. 23.

Julianus Apoſtata dictus παραβάτης. 56. ejus origo. ibid. ubi natus. ibid. in Chriſtiana Religione educatus. ib. litteris eruditus. ibid. bello egregius. ibid. ejus corporis habitus. ibid. vitam philoſophicam præfert. 56. regnavit brevi tempore. ibid. ejus memoriæ deletæ. ibid. barbam alebat. ibid. ejus ſimulacra. ibid. ejus doli ut Chriſtianos ſeduceret. 56. qua ætate mortuus. ibid. ejus nummi. ib. ſtatua e cœlo tacta. 56. Julianus promiſit ſtatuas Commodi dejectas reſtituere. 37.

Julius Cæſar, ac ejus vitæ ſcriptores. 6. cur ejus imagines raræ. 6. ſtatuæ. 6. nummi maximi moduli nuſquam reperiuntur. 6. oris lineamenta varie deſcripta. 6. calvus, ideoque in triumpho irriſus. 6. calvitiem occulere ſtuduit. 6. lauream coronam defert. 6. crines breves, & barbam 7. an macer eſſet. 6. ejus color. 6. morbus. 6.

Jupiter ex Homeri verſibus delineatus. 2. Raphael Urbinas ex antiquis marmoribus illum coloribus expreſſit. 4. ejus caput in fronte hujus libri delineata ubi eſſet. 4.

Juvenalis v. Latinus.

L

LAtinus Juvenalis. 27.

Lecti in funeribus. 8.

Lexicon Roberti Stephani, & Martini notatum. 10.

Lyſiſtratus commentus eſt e gypſo defunctorum imagines formare. 4.

Lucatellus Marchio laudatus. 56.

Lu-

Lucilla Commodi ſoror . 36. ejus hiſtoria . 36. ejus protoma ubi reperta . 36. aliæ feminæ cognomines . 36. ejus nummi . 36. an a dæmone obſeſſa 36. occiſa . ibid.

Lucius Verus V. Ælius .

Lucius Verus M. Aurelii frater . 34. ejus origo, 35. nummi . 35. protomæ . 35. mores . 35. imago . 35.

M

MAcrinus ejuſque protomæ raræ. 44. ejus mali mores. ibid. deformis. ib. barbam alebat . ib. a nonnullis laudatur . 44. obſcuro loco natus. ibid. qua ratione ſuam occuleret originem . 44. ejus ſtatuæ, & ætas . 44.

Manlia Scantilla Didi Juliani uxor . 39. filiam habuit . 39. maritum humavit . 39. deformis. 39. pro Junone colitur . 39. ejus nummi . 39.

Marcelli effigies . 8. Auguſti gener . 8. moritur adhuc juvenis . 8. quis ſuæ mortis reus creditur . 8. laudatus a Virgilio . 8.

Marciana Trajani ſoror laudatur, & honoratur. 28. Matidiæ mater . 29. ejus nummi, & protomæ . 28. Marcianopolis ab ea dicta . 24. ejus comæ concinnatio . 28.

Marcus Agrippa V. Agrippa .

M. Antoninus Pius , ejuſque laudes . 31. ore ſimilis Numæ . 31. ejus protomæ, & nummi . 31. 32. corporis habitudo . 31. oris lineamenta . 31. ejus capita coloſſea . 31. & 32. unum ex eis ubi repertum . 32.

M. Aurelius Antoninus , Philoſophus appellatur poſt mortem ob ejus mores , & ſcripta . 33. hoc nomine a Senatu appellatur . 33. plurimæ ejus imagines & nummi . 33. ejus mores a teneris unguiculis quales . 33. ejus laudes . 33. ſtatuæ elegantiſſimæ , & cur . 33. picturæ operam dedit . 33. quo magiſtro uſus . 33. ejus nummi . 33. ejus protomæ ubi repertæ . 33. ejus filius . 34. ſtatuas amicis patris poſuit . 35. ob uxorem vituperatus . 34.

M. Aurelius Carinus V. Carinus .

Marii ſtatua . 3.

Marmor metallum aliquando dictum . 5. ex agro Veronenſi effoſſum quomodo nuncupatum . 5. Thebaicum . 39.

Martiali lux adfertur . 2. 24.

Maximini vultus . 47. mali mores . 47. immanis vis . 47. nummi . 47. phyſiognomia fortunata . 47.

Maximus Maximini filius 47. qua ætate occiſus . 47. ejus nummi . 47. patris amator . 47. pulcherrimus . 47. 48. litteris imbutus . 47. 48. plurimæ ejus imagines . 47. ob nimiam pulchritudinem infamatus. 48. ejus præceptor Fabilius. 48.

Matidia ſimilis Trajano . 28. ejus comæ peculiaris concinnatio 28.

Mediobarbus notatur . 45.

Meſſalina maxime impudica . 15. ejus nummi rari . 75. Barbati Meſſalæ filia . 15. occiditur. 15. ejus comæ concinnatio . 15. ejus ſtatuæ dejectæ . 15.

Metallum ſignificat aliquando marmor , & cretam . 5. 40.

Meurſius notatur . 38.

Metopoſcopi, qui ex phyſiognomia divinabant. 22.

Muſeum Carthuſianorum Vindobonam translatum . 32. 36. 44.
Ruzinium . 28.
Arigonium . 33.
Piſanum . 37. 44. 52.
De Camps . 37. 45. 52.
Carpineum . 37. 44. 45. 54.
Mediceum . 48. 7. 6. 9. 12. 14. 17. 19. 27. 28. 29. 32. 38. 42. 44. 45. 48. 50. 51.
Britannicum . 48.
Reginæ Chriſtinæ. 37.
Florentinum . 45. 52.

N

NAſus aquilinus quid deſignet . 19. apud Perſas cur pulchritudinis nota . 7. Auguſti ſimilis Achillis . 7. Theodorici Regis Gothorum . 7. an Galbæ hac de cauſa Imperium ominatus fuerit Auguſtus , vel Tiberius . 18. præclari viri adunco naſo præditi . 19. naſus ſimus . 18. tractilis qualis . 45.

Nero Antii natus . 18. primum optimus . 16. ejus imagines . 16. corporis habitus . 16. comæ concinnatio . 17. ei ſtatuæ poſitæ . 17. lanugo in genis . 17. tumulus ejus floribus ſpargitur . 17. ſervus ſe Neronem eſſe ſimulavit . 17. Neronis protoma quando excuſa . 17. primus coloſſea imagine expreſſus . 17. vultus ejus barbatus . 17. Nero Poppeam ducit 18. ex qua filiam ſuſcepit . 18. ex quo maxima lætitia exultat . 18. Poppeam Auguſtam renunciavit . 18. dein eam occidit . 18. poſt mortem honoribus eam cumulavit . 18.

Nervæ protomæ raræ . 25. hæc noſtri Muſei forte recentior . 25. in Muſeo Mediceo elegantiſſima . 25. corporis habitus . 25. 26. virtutes . 25. nimis ſenex reputatus . 25. 26. de ejus ætate variæ ſententiæ . 25. S. Johannem ab exilio revocavit . 26.

Niger V. Peſcennius .

Numæ nummi . 31.

Nummos Imperatorum uxoribus Senatus non dedicabat . 16.

O

OBſtipus quid ſignificet . 10.

Olympici Jovis templum . 29.

Othonis uxor Poppea . 18. qua arte eam pellexerit Otho . 18. eam ob pulchritudinem laudat . 18. Otho infelix . 29. ejus nummi ac protomæ raræ . 29. quotidie barbam radebat . 19. galericulo utebatur . 19. immoderate mollis . 19. 20. pulcher . 19. Neronis nomine ſalutatus , quia ei vultu ſimilis . 20.

P

PAridem hiſtrionem amavit Domitia . 25. eum interficit Domitianus . 25. locus , ubi ille occiſus fuit, floribus conſperſus . 25.

Patinarius cur nuncupatus Vitellius . 21.

S. Pauli imago . 4. S. Paulus calvus . 7.

Pertinacis breve imperium . 38. ejus protomæ admodum raræ . 38. imagines certæ . 38. ejus phyſiognomia . 38. mores . 38. 39. mors . 38.

qua ætate Pertinax necatus . 39. poſt ejus obitum quot Imperium invaſerint . 41. ætate minor Clodio Albino . 40.
Peſcenniana domus . 39.
Peſcennii imago e marmore nigro . 39. ejus vultus , & corporis habitus . 39. Peſcennius gravis , & moderatus . 39. cur Niger vocatus . 39. Imperium invadit . 41. ejus competitores . 41. nummi rariſſimi . 40.
Petrarca citatus . 34. 22.
S. Petri effigies . 4.
Phidias ex verſibus Homeri Jovis vultum excudit . 2.
Philippus junior Cæſar appellatus adhuc adoleſcens . 51. ejus parentes . 51. hiſtoria haud nota . 51. oris lineamenta , & mores graves . 51. ſeverus , & ἀγέλαστος . 51. ejus nummi . 51. protome ubi inventa . 51. an Chriſtianus fuerit . 51.
Phyſiognomia Veſpaſiani . 22. Pertinacis . 38. Maximini . 47.
Pipa an eadem ac Salonina . 54.
Pitiſcus notatus . 25.
Plotina Trajani uxor . 27. laudatur , ac vituperatur . 27. ab Hadriano honoribus afficitur . 27. Auguſtæ appellationem recuſat . 27. 28. ejus nummi in ære rariſſimi . 27. capillorum concinnatio . 27.
Pompeo ſimilis vultu Gordianus junior . 49.
Pomponius Baſſus V. Annia Fauſtina .
Poppeæ inſignis imago . 17. diademate ornata . 17. nummi . 17. luxus . 17. majores , & mariti . 18. pulchritudo . 18. Poppea mollis . 17. ex Nerone filiam peperit . 18. a marito , & a Senatu honore affecta . 18. a Nerone occiſa . 18. an duæ Poppeæ . 18. comæ ejus concinnatio . 17. funus magnificum . 18. in eo immenſa vis aromatum crematur . 18. ejus ſtatuæ poſitæ , ac dejectæ . 18.
Pupienus ejuſque protomæ , ac vultus lineamenta . 50. nomina . 50. humili loco natus , ſed virtute militari præſtans . 50. ejus mors , laudes , & imperium . 50.
Pythagoricus victus . 49. antiquitus erat in uſu . 49.

Q

QUintus Herennius ejuſq. origo . 52. nomina. ibid. nummi . 52. dignitates . 52.
Quadrata ſtatura quid innuat . 22.

R

RElicinæ frontis ſignificatio . 4.
Ridolphus Cardinalis .
Rohanus Cardinalis in Galliam defert Commodi protomam . 37.

S

SAbina Hadriani uxor . 30. ejus cognatio cum Trajano . ibid. Hadriano minus grata . 30. an veneno interempta . 30. an adultera . 30. pro Cerere culta . 30. ejus nummi . 30. ſpicis coronata . 30.
Salonina Gallieni uxor . 54. χρυσογόνη dicta . 54. ejus nomina . 54. an eadem ac Pipa Gallieni concubina . 54. ejus nummi . 54. pulchritudo . 55.
Saloninus Saloninæ filius . 55. a quo Cæſar factus . 55. ejus nomina . 55. vita . 55. in juventa occiſus . 55. ejus nummus maximi moduli amiſſus . 55.
Savonarolæ Hieronymi buſtum floribus conſperſum . 25.
Scipio Aſiaticus vultu ſimilis Gordiano Pio . 51.
Senecæ lux adfertur . 2.
Septimius Geta . V. Geta .
Septimius Severus Africanus . 41. litteris , & armis egregius . 41. laudatus . 41. ejus ſtatuæ , ac imagines plurimæ . 41.
Spartiani locus explicatus . 30.
Sponius Jacobus notatus . 18.
Svetonius an Sabinam vitiaverit . 30. illuſtratus . 6.
Syllæ effigies . 8. funus . 8.

T

TEmplum Jovis Olympici ab Hadriano ædificatum . 29.
Theodoricus Rex Gothorum adunco naſo . 7.
Tiberius Imperator litteris eruditus . 10. calvus. ibid. magno ingenio præditus . 10. mores ejus. 10. corporis habitus . 10. protomæ inter ſe variæ . 10.
Titus pulcher in adoleſcentia . 22. in eo pulchritudo crevit cum Imperatoria majeſtate . 22. a metopoſcopo illi Imperium ominatum . 22. indoles ejus benefica . 22. protomæ . 22. ſimilis Veſpaſiano in oris lineamentis . 22.
Trajanus laudatus . 26. ejus protomæ . 26. 27. corona civica ornatæ . 26. corporis habitus . 26. ejus nummorum maxima copia . 26.
Trajanus Decius V. Decius .
Trebonianus Gallus ejuſq. protomæ raræ . 53. nomina . 53. cum Hoſtiliano confuſus . 53. nummi . 53.
Trichorum quid ſignificet . 39.

V

VAillantus notatus . 48.
Valenti Cardinalis Sylvii laudes egregiæ. 14.
Vaticana bibliotheca . 9. 29. 32. 35. 42. 51.
Vaticanum Muſeum . 29. 35. 31. 42. 52. Palatium . 29.
Vellejus Paterculus emendatus . 12. Tiberii aſſentator . 12.
Venutus Rudolphinus laudatur . 9. 32. 51. ejus de Salonina ſententia . 54.
Verus . V. Lucius .
Veſpaſianus laudatus . 21. 22. ob avaritiam vituperatur . 21. facetus . 22. ejus imagines , & nummi communes . 21. maximi tamen moduli rari . 21. oris lineamenta . 21. phyſiognomia . 22. corporis habitus . 22.
Virgilii imago in fronte ejus operum . 2. Codex Mediceus . 23.

Vitellii protomæ, & nummi rari. 21. Vitellius peni, & ventri deditus. 21. & gulæ, & crapulæ. 21. in juventa formoſus. 21. educatus a Tiberio in inſula Capreas. 21. Patinarius nuncupatus. 21. patrem ſuum ad dignitates provexit. 21. ejus ſtatuæ dejectæ. 21.
Victor. V. Aurelius.
Voluſiani origo. 53. nummi ac protomæ. 53. ſtatua. 53. hic cum Hoſtiliano regnavit. 53.

X

Xiphilini locus emendatus. 25.

Z

Zantanus Antonius priorum XII. Cæſarum imagines edidit. 10.

		ERRATA	*CORRIGE.*
TOM. I.			
Pag. 2.	v. 2.	ἐπειδὲ	ἐπειδὴ
5.	v. 3.	ϛ	εἰς
7.	v.38.	Qumque	Quumque
26.	v.29.	repræhendit	reprehendit
		προτόμην	προτομὴν
28.	v.14.	προτίμης	προτομῆς
29.	v.37.	περόρημενος	πεπορήμενος
38.	v.46.	Quæritur	Queritur
TOM. II.			
Pag. 2.	v.23.	cœpit	cepit
4.	v.20.	Aedicto	edicto
5.	v.21.	λύπς	λίθος
6.	v.10.	Avercampus	Havercampus
	v.14.	hoc cum	hoc caput cum
8.	v.10.	cauſatus	incuſatus
	v.24.	lumine	lumina
13.	v.40.	protypo	archetypo
18.	v.42.	ſimilitudo	ſimilitudine
25.	v.17.	Ἐπειδεὶ	Ἐπειδὴ
28.	v.33.	gerentes	geramus
29.	v.36.	huc	hîc
39.	v.18.	auro tres vero &c.	auro perrariſſimi. Duos refert Vaillantus, tres vero Mediobarbus
42.	v. 6.	Egeates	Aegeates
44.	v. 4.	Propoſitus	Præpoſitus
46.	v. 8.	Cyri	Syri
51.	v.20.	ſit	*deleatur*
52.	v.20.	amore proſequutum &c.	ejuſque patrem illum amore proſequutum magnopere ſtuduiſſe
56.	v.36.	hemorrhoiſſa	hæmorrhoiſſa
IN INDICE.			
In voce *Artifices*.		ſimillimæ	ſimillimus
In v.		Calcotondylas	Chalcocondylas
In v. *Commodus*.		ſtatuis dejectis	ſtatuæ dejectæ

Tav. IV. pag. 42. delle Osservazioni al Tomo II. del Museo Capitolino



Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



LUCILLA

Questo busto fu levato dalla serie per non avere tanta somiglianza con le medaglie quanto quello descritto nelle Osservazioni, ma si riporta per esser nel nostro Museo

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



GIOVE

Gio. Dom. Campiglia disegnò — *Carlo Gregori incise*



C. GIVLIO CESARE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*




AVGVSTO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*




MARCELLO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCO AGRIPPA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori Sculp.*



TIBERIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



TIBERIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



DRVSO


Gio. Domenico Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



8

ANTONIA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



GERMANICO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*




AGRIPPINA MOGLIE DI GERMANICO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



CAIO CALIGVLA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



CAIO CALIGVLA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



CLAVDIO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



MESSALINA

Gio. Domen. Campiglia dis. — *Carlo Gregori inc.*



AGRIPPINA MOGLIE DI CLAVDIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*

16



NERONE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



NERONE

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



POPPEA

Gio. Domen. Campiglia dis.

Carlo Gregori inc.

19



GALBA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



OTTONE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



VITELLIO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



VESPASIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



TITO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*

24



GIULIA DI TITO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



DOMIZIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Gennaro Guttierez inc.*



DOMIZIA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



NERVA

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



TRAIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc*



TRAIANO

Gio. Dom. Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*



PLOTINA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCIANA

Gio. Dom. Campiglia dis.



MATIDIA

Gio. Dom. Campiglia dis. *P. Ant. Pazzi inc.*



ADRIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ADRIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*

35



SABINA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ELIO CESARE

Gio. Domen. Campiglia. dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCO ANTONINO PIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori incise*



FAVSTINA MAGGIORE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



FAUSTINA MAGGIORE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCO AVRELIO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCO AVRELIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MARCO AVRELIO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



FAUSTINA IUNIORE

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori ſcul.*



ANNIO VERO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



LVCIO VERO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



LUCILLA

Gio. Dom. Campiglia dis. *F. Ant. Pazzi incise*



Gio. Dom. Campiglia dis. **LVCILLA** Carlo Gregori inc.

48



COMMODO


Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



CRISPINA

Gio. Dom. Campiglia dis.

P. Ant. Pazzi inc.



PERTINACE

Gio Domen. Campiglia dis.

51



MANLIA SCANTILLA


Gio: Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



PISCENNIO NEGRO

Gio. Domen. Campiglia diseg. Gennaro Guttierez incise





CLODIO ALBINO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori incise



SETTIMIO SEVERO

Gio. Dom. Campiglia dis. *F. Ant. Pazzi inc.*



SETTIMIO SEVERO



SETTIMIO SEVERO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



GIVLIA PIA

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ANTONINO CARACALLA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*

59



ANTONINO CARACALLA

Gio. Domen. Campiglia dis. *Gennaro Guttierez inc.*



SETTIMIO GETA

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



MACRINO

Gio. Dom. Campiglia dis.

Carlo Gregori inc.



DIADVMENIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



ELIOGABALO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



ANNIA FAVSTINA

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*




MASSIMINO

Gio. Domen. Campiglia dis. *P. Antonio Pazzi inc.*



MASSIMO

Gio. Domen. Campiglia dis. *P. Antonio Pazzi inc.*



GORDIANO AFRICANO
SENIORE

Gio. Domen. Campiglia dis. Gennaro Guttierez inc.



GORDIANO AFRICANO
IVNIORE

Gio. Dom. Campiglia dis. *F. Ant. Pazzi inc.*

69



PUPPIENO

Gio. Dom. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



GORDIANO PIO


Gio. Domen. Campiglia dis. P. Antonio Pazzi inc.



FILIPPO GIOVANE

Gio. Dom. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.

72



TRAIANO DECIO

Gio. Domen. Campiglia dis. | *Carlo Gregori inc.*



73

QVINTO ERENNIO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



OSTILIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*

75



TREBONIANO GALLO

Gio. Domen. Campiglia dis. *P. Antonio Pazzi inc.*



VOLVSIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



VOLVSIANO

Gio. Domen. Campiglia dis. *P. Antonio Pazzi inc.*

78



GALLIENO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Gennaro Guttierez inc.*




GALLIENO

Gio. Domen. Campiglia dis. *Carlo Gregori inc.*



SALONINA

Gio. Domen. Campiglia dis.   Carlo Gregori inc.



SALONINO

Gio. Domen: Campiglia dis. Gennaro Guttierez inc



MARCO AVRELIO CARINO

Gio. Dom. Campiglia dis. Carlo Gregori inc.



GIVLIANO APOSTATA

Gio. Dom. Campiglia dis.